
MEMORIÆ JURISCONSULTORUM NOSTRI SECULI CLARISSIMORUM RENOVATÆ DECAS QUARTA,

CURANTE

M. HENNINGO VVITTEN.



FRANCOFURTI,
Apud MARTINUM HALLERVORD,
Typis JOANNIS ANDREÆ.

Anno M. DC. LXXVI.

THUCY-

THUCYDIDES DE BELLO
PELOPON. LIB. II. IN FINE.

JI, QVI PRO REPUBLICA CORPORA DEVOVERUNT, PRIVATIM IMMORTALEM GLORIAM REPORTARUNT, ET SPLENDIDISSIMUM SEPULCHRUM; NON TAMEN IN QVO IPSI QVIESCANT, QVAM UBI EORUM GLORIA, UT SE QVODQVE TEMPUS OFFERT, VERBIS FACTISQVE CELEBRANDA, PERPETUO ET SINE OBLIVIONE RECONDANTUR.

VIRO

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, PERQVAM STRENVO ET AMPLISSIMO,

DN. JOHANNI BENKENDORFFIO,

FAMIGERATISSIMI AD DUNAM EMPORII,
QVOD RIGÆ EST,
PRO-CONSULI GRAVISSIMO,
JUDICII IBIDEM TUTELARIS PRÆSIDI
DEXTERRIMO OPTIMOQVE
DOMINO ET PROMOTORI SUO
ÆTERNA OBSERVANTIA CUM SUBMISSO
CULTU SUMMOPERE PROSEQVENDO,
CUJUS INDUSTRIAM ATQVE ERUDITIONEM;
IN PRUSSIACO JAM OLIM PARNASSO,
UTI SINGULAREM PLANE IPSE
DEMIRATUS APOLLO,
ITA EJUS NUNC VIRTUTEM AC PRUDENTIAM SUMMAM,
RINGENTE LICET INVIDIA,

BONI

BONI QUICUNQVE OMNES
JURE MERITISSIMO VIDENT, AGNOSCUNT, SUSPICIUNT;
IPSI PROINDE SPLENDIDA ALIQUANDO,
SED NON NISI POST SERA
FATA PARENTABIT VIRTUS:
CUM HACTENUS
ALIO HAUD LICUERIT MODO
BENEVOLENTIÆ IN SE FOVERE RADIOS;
HUNC QVALEMCUNQVE
DE MAGNIS ALIQVID MERENDI VIRIS
CONATUM LITERARIUM
CUM VOTO PERPETUÆ PROSPERITATIS
ADMODUM DEVOTO,
IN PII ADFECTUS SYMBOLUM,
SISTIT ET EXHIBET,
MERITIS TANTI FAVITORIS
UBIQVE OBLIGATISSIMUS
M. H. WITTE.

SERIES

SERIES JCTORUM
QUARTÆ DECADIS.

Obiit anno

1666. Bened. Carpzovius D. & Consiliarius Elect. Saxon.
1668. Henricus Hahnius Doct. & Profess. Helmstad.
1668. Enoch Gläserus D. & Profess. Helmstad.
1669. Jacobus Sebastianus Laurenbergius D. & Profess. Rostoch.
1670. David Mevius Doct. & Vice-Præses Wismar.
1671. Georgius Wernerus D. & Prof. Helmstad.
1672. Theodorus Wolderus Doct. & Profess. Regiomont.
1674. Christianus Woldenbergius Doct. & Profess. Rostoch.
1674. Johannes Philippi Doct. & Pro-Cos. Lipsiensis.
1674. Ernestus Cregelius Doct. & Profess. Altorphi.

RECTOR

RECTOR
Academiæ Lipsiensis
ad
Exequias
Viri Magnifici, Nobilissimi & Eminentissimi

DN. BENEDICTI CARPZOVII,

Jurisconsultorum principis Serenissimo Saxon. Elect. à Consiliis intimis & appellationum Scabinatus Elect. per Annos 46. Assessoris & Senioris longè meritissimi

Cives

Academicos post. 1. pom. invitat.

CUm iter in patriam meditaretur, qui fuerat hactenus Israëlitarum per desertum Arabicum Hodegus, HOBAB, MOSES affinis his ipsum verbis retrahere nitebatur: Ne deseras nos in hac peregrinatione difficili & viis inviis, quia tu nobis eris OCULUS. Ecquid aliud est hæc vita, quam ad æternam vitam peregrinatio, sed per loca salebrosa, per senta, per invia tesqua, ubi Hodegis, &, qui præluceant, OCULIS in omnibus vitæ generibus opus est? Oculis autem tùm propter fabricam, tùm propter usum (quæ duo præcipuè in omnibus organis considerari solent) tùm propter caritatem & precium, in quo habentur, Doctores & Ductores non inconcinne comparantur. Fabricam si penitius intuemur, nulla pars humani corporis tam affabre constructa, tam congrue posita est, quam oculus. Ex variis enim tunicis & humoribus (inter quos crystallinus nullo colore tinctus, convexa figura prominens & inter aqueum ac vitreum medio loco positus eminet) ita subtiliter connexus & contextus est, ut totum hoc hemisphærium

rium mundanum cum omnibus contentis in tunica retiformi, vel orificio nervi optici (quæ Keplero, Rhodio & aliis recentioribus opticis probatur sententia) lineis plus quam Apelleis pictum suscipiat. & sensui communi sistat. Nec in pede, aut alia corporis parte ignobiliore, sed in capite, sed in facie, ut toti corpori præluceat, oculus collocatus cernitur. In iis, qui Duces aliorum esse debent, σύνεσις etiam ex eruditione multiplici, &, ut autoritatis pondus accedat, in eminentiore loco positus requiritur. Usus oculorum est, ut non tantum omnes actiones nostras, sed & omnes gressus nostros regant & dirigant, ne forsan in obstacula, viis præsertim impeditis, obvia impingamus, sed inoffenso pede ad metam nobis præfixam pergamus. Respiciens huc Salvator totum corpus, si simplex sit oculus, pravis humoribus non imbutus, salvum fore dicit. Jobus ad mutua vitæ auxilia indicem digitum intendens oculum cœco, pedem claudo se fuisse, gloriatur. Demades exercitum Alexandri Magni Rectore destitutum cum Polyphemo, cui exclusus erat oculus, & qui passim cespitabat. quod

Vis consilii expers mole ruat sua,

significans, apposité contendebat. Eo quoque loco, ex quo septem speculatoribus in editissimis turribus collocatis plus videre possunt, Daduchos ejusmodi positos & ponendos novimus. Consiliis inde suis imminentia pericula non ab unica duntaxat urbe, vel ditione, sed integris regnis & Imperiis averruncare possunt. Oculi tandem propter insignem hunc usum carissimi sunt, prout P. Manutius, cum oculorum dolore laboraret, ad amicum quendam scripsit: Odi penè oculos meos, etsi oculi sint, id est, omnium carissimi Quam etiam ob causam oculos custodimus, tergimus, &, ne lædantur, modis omnibus cavemus, quantum ex eorundem læsione, multo magis jactura in corpus totum resultare possit damni, non inscii. Qui viæ ductores nobis sunt in hac vita, præsertim in rebus arduis, oculis cariores æstimamus, summoq; in precio habemus, non nescientes, quantum damni amissio talium secum vehere soleat. Et hunc significatum alloquio suo simul complexum fuisse Mosen, cum inquit: Tu nobis eris Oculus, id est, oculis carior, sequentia verba de communi bonorum participio eventu tandem in terra promissa completa satis evidenter indicant. Si vobis res agenda esset, Virum Magnificum, Nobilissimum & Eminentiss. Dn. BENEDICTUM CARPZOVIUM,

Juris Consultum, quem seculi theatra canunt, &, dum mundana volvetur machina, deprædicabunt, Consummatissimum, Serenissimis Sax. Electoribus JOHANNI GEORGIO, nominis hujus Primo & Secundo à consiliis satiotioribus & appellationum, ut & Scabinatus Electoralis Assessorem per seculi propemodum dimidium ab anno currentis seculi vigesimo, & Seniorem longè meritissimum, Virum Nestoreis annis dignissimum ex itinere in patriam cœlestem verbis MOSIS & nos in hanc vitam revocaremus: Ne deseras nos in hac peregrinatione satis difficili & viis inviis, quia nobis, ut hactenus, ita deinceps eris OCULUS. Quantum enim hoc Organon affabèrrime structum profuerit rebus communibus; quomodo Collegiis, quorum pars fuit, præluxerit hic oculus, & in viis inviis gradientes direxerit: quomodo Scriptis suis, ingenii monumentis æternum victuris, consilia & judicia tam Ecclesiastica. quam Politica informaverit & adhuc informet, dies loquitur. Decisiones ipsius aureas, Legem Germanorum regiam, Jurisprudentiam Consistorialem (plura de Jure feudali, jure fœminarum, aurea Bulla, confraternitate domus Saxonicæ & Hassiacæ, axiomate Ducum Saxoniæ de non appellando, suffragio Septemvir. in electione Caroli V. arbore Consanguinitatis & quibus jus publicum ac privatum illustravit alia sicco pede jam præterimus) ita certè comparatas videmus, ut omnium terantur manibus & ex iis velut ex tripode dicta citentur, & ita CARPZOVIUS asylum juris, & communis Præceptor Jurisprudentum non immeritò vocari queat. Quomodo Principum & Electorum hic oculus consiliis suis tam Dominorum (inter alia causam Juliacensem vide) quam subditorum εὐίςῳ quæsiverit, quomodo telorum jactus eminus ingruentes declinare docuerit, quomodo jus æquilibri trutina omnibus ἀπροσωποληπτως admensus fuerit, maximos minimos, si opus esset, testes vocare possemus. In oculis itaque gestus fuit hic oculus, & in deliciis ab omnibus, non tantum quibus familiariter, sed etiam à nomine duntaxat notus erat, habitus. Sed votis ac desideriis nostris frustra sumus: CARPZOVIUM HABUIMUS. Quod ultimum humanitatis officium Ipsi nunc Beatissimo, nobis desideratissimo, persolvere possumus, restat: in quo etiam hoc exequiarum die, quibus eminuit, axiomata in ingressu, progressu & egressu vitæ divinitus Ipsi collata recensendo, &, quoad

ejus

ejus integrum, ad imitationem, vel potius admirationem & deprædicationem proponendo, sumus futuri.

Spiritum primum Vir magnus hic duxit Wittebergæ, anno præcipitantis seculi superioris 95to, sexta Cal. Junii Dominica Jucunditatis statim post μεσονύκτιον, Parentibus summo loco & numero constitutis natales debens, Patrem siquidem honoravit Virum Magnificum, Nobilissimum & Eminentissimum Dn. BENEDICTUM CARPZOVIUM, magni nominis Jure-Consultum, Electoralis Viduæ, ut & Comitum Reinsteinensium & Blanckenburgensium Cancellarium splendidissimum, Serenissi. Electori ac Ducibus Saxoniæ à consiliis intimis & appellationum, Virum in posteritate verè benedictum: Avum Virum Amplissimum & Prudentissimum Dn. SIMONEM CARPZOVIUM, Consulem Brandeburgensem meritissimum: Matrem sui sexus qua pietatem, qua virtutes muliebres Phœnicem, Fœminam Præclarissimam ANNAM, Viri spectata fide ac prudentia Dni. CONRADI FLUHTI, Senatoris Wittebergensis filiam: Aviam paternam edecumatæ pietatis ac probitatis Fœminam ANNAM, Viri Consiliis & prudentia præcellentis Dn. BENEDICTI LINDENHOLZII, Consulis Strausburgensis meritissimi filiam. Christo & Ecclesiæ per φωτισμὸν insertum Beatissimum nostrum Parentes optimi statim à teneris, quod ajunt, unguiculis literis & virtutibus genere suo dignis imbui curarunt, ac proinde Præceptorum doctissimorum, summis postmodum gradibus condecoratorum Dn. D. MICHAELIS LEDERERI, Senioris, Dn. D. HENCKELII, Dn. M. CHRISTPHORI PELUGII, Dn. M. JOACHIMI OELERI, & Dn. PELUGII fidei ac informationi crediderunt. Quanquam enim Dominus Avus Paternus Consul Brandenburgicus arte ac Marte, literis ac armis filios suos excellere voluit, prout Vir Nobilissimus & Manu Strenuus Dominus JOACHIMICUS CARPZOVIUS, (Brandeburgicus cognominatus) virtutibus suis bellicis ita inclaruit, ut à JOACHIMO CLUVERIO, Historiæ universalis libro 10 & EMANUELE METERANO, laureæ Nassovicæ, libro 40. & illo quidem CARPEZANI, hoc verò CARPENSONII nomine summis laudibus efferatur, ad suum tamen exemplar Dn. Parens τοῦ μακαρίτου filios conformari & togatis virtutibus inclarescere maluit. Nec operam Vir Sapientissimus lusit, cum Filii, quotquot ex lum-

bis ipsius prodierant, summis honorum gradibus condecorati & amplissimis muneribus adhibiti fuerint. Natu quippe primus Vir Magnificus, Nobilissimus & Splendidissimus Dn. CONRADUS CARPZOVIUS, Juris Consultus celeberrimus & Comes Palatinus Cæsareus, postquam per annos septendecim institutionum & Codicis in Academia Wittebergensi Professor Ordinarius tàm publica, quam privata informatione Studiosæ juventutis commodis velificatus fuisset, judicii appellationum in aula Electorali Assessor de publico præclare meruisset, aliisque tàm Electoribus, quam Principibus Imperii consiliis suis dexterrimis domo allatis adstitisset, à Reverendissimo, Serenissimo & Celsissimo Principe ac Domino, Domino AUGUSTO, Primatus & Archi-Præsulatus Magdeburgensis Postulato Administratore Cancellarius & Consiliarius intimus vocatus per annos 20. Spartam istam tam decenter ornavit, ut, magno sui desiderio relicto, paucis abhinc annis honorum & laborum satur mundanis valedixerit. Tertius in ordine natus Vir Consultissimus & Amplissimus Dn. D. CHRISTIANUS CARPZOVIUS, in Academia cis Viadrum Professoris Pandectarum Ordinarii Provinciam non sine laude obivit. Quartus Vir Maxime Reverendus, Amplissimus & Excellentissimus Dn. D. JOHANNES BENEDICTUS CARPZOVIUS, S. S. Theol. Professor publicus famigeratissimus, Consistorii Electoralis & Ducalis Saxonici, quod hîc Lipsiæ est, Assessor, electus Canonicus Cizensis, necnon ædis ad D. Thomæ Ecclesiastes meritissimis scriptis & viva vove docendo Studiosam juventutem & Ecclesiam Christi totam ita sibi devinxit, ut par gratia referri nequeat, ante novennium præter propter per beatam analysin ad Patres fuit collectus. Quintus & natu minimus Vir Magnificus, Nobilissimus & Splendidissimus Dn. D. AUGUSTUS CARPZOVIUS, in Effulda & Pfersdorff jam ante 20. annos ad Tractatus Pacis Osnabrugensis Serenissimi ac Celsissimi Saxoniæ Ducis, Altenburgensis lineæ, nomine Legatus jam Cancellarii, Consiliarii intimi & Præsidis officio in Ducatu Coburgensi summa cum gratia Celsissimi Magistratus & subditorum emolumento luculentissimo etiamnum fungitur. Sicuti jam benedictus CARPZOVIORUM Parens in educatione filiorum jam adductorum voti compos evasit: ita certe in filio natu secundo Beatissimo nostro eodem non excidit. Sed, ut intra oleas revertamur, cum funda-

menta

menta in literis, artibus inprimis instrumentalibus & linguis laudabilia sub manuductione Præceptorum suorum Dnus Consiliarius ὁ μακαρίτης jecisset, seculi currentis anno 10. adulto Quintili, ætatis annum decimum quintum vix egressus una cum Dn. Fratre natu majore CONRADO in Academiam Wittebergensem, ut fundamentis istis superstrueret Colditio ex arce Viduæ Electoralis fuit missus. Non ibidem Vacunæ litavit, aut bonas horas ἀλλότρια tractando malè collocavit, sed oculum ad metam dirigens, præsertim cum in Philosophicis progressus non contemnendos fecisset, studio Juris se totum addixit, & per quinquennium integrum una cum Domino Fratre prælectionibus publicis & privatis Dn. Professorum Juris nexu indivulso adhæsit, in palæstra disputatoria sese respondendo & opponendo exercuit, & sic auctus insignes in hoc studio per DEI gratiam deprehendit. Quinquennio præterlapso, fratres ambo mense Novembri currentis seculi anno 15. Lipsiam se contulerunt, ubi per annum substiterunt, & postmodum in Academia Salana talento divinitus concesso lucrari cœperunt, vadum fama sic tentantes, ut alternis quotidie prælegendo & in arena disputatoria non sine admiratione præsidendo studia juventutis proveherent, & alios docendo seipsis meliores indies evaderent. Cùm ita biennium & dodrantem ibidem substitissent, mense Majo anni 18. Wittebergam reversi radicis amaræ fructus degustare cœperunt. Habita siquidem circa Decembris initium disputatione de regalibus sub Præsidio Dn. D. Wolfgangi Hirschbachii, cui Fratres ambo responderunt, licentiam Doctorales assumendi honores hoc ipso mense Decembri adulto nacti anno sequenti 19. mense Februario jam vergere incipiente supremum honorum in hoc studio apicem, Doctoratum scil. Ordinario Dn. D. BARTHOLOMÆO REUSNERO, & Decano Dn. D. ERASMO Unruhe/non sine χειροτονίᾳ Præceptorum, Dn. Parentis & bonorum omnium congratulatione fuere consecuti. Hac hedera studiis alias vendibilibus præfixa, Dn. D. CONRADUS ab Illustrissimo & Celsissimo Pomeraniæ Duce FRANCISCO, Consiliarius aulicus expetitur, à quo divulsus Frater conjunctissimus mense Aprili ejusdem anni 19. per Germaniam superiorem in Italiam iter instituit, &, visis Venetiis, Roma, locisque celebrioribus aliis, &, linguæ cognitione non mediocri comparata, per Galliam in Angliam & Belgium perrexit. Non hic, ut aranea, quod

plures faciunt, sed ut apis, præsertim in aulis Regum & Magnatum, versatus Beatissimus noster

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Dum autem Belgio temporis nonnihil dare cogitat, per literas à Domino Parente domum revocatur, eò quod locus extraordinarius in Scabinatu Lipsiensi à Serenissimo Saxoniæ Electore decretus Ipsi fuerit, quem etiam redux factus anno 1620. septimo Cal. Maji, præstito prius juramento solenni, adiit. Post interjectum triennium Dn. D. THEODORO SITZMANNO demortuo, cum libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum Sacramento se prius obstrinxisset, Assessor in Scabinatu factus Ordinarius optio datur. Hac emersionis Scala Domino Consiliario τῷ νῦν ἐν ἁγίοις oblata, pedetentim, paulatim, gradatim altius ascendit, anno 1636. Dicasterii supremi Provincialis, & post triennium anno 39. Consiliarius Electoralis in Judicio appellationum, quod Dresdæ est, Assessor, præmissis juramentis solennibus, factus. In quibus officiis gravissimis cum fidem & dexteritatem suam supremo Magistratui per annos 24. satis abunde probasset, Consiliarius Electoralis aulicus, ita tamen, ne locum in judicio appellationum migrare cogeretur, à Serenissimo Patriæ Patre JOHANNE GEORGIO, nominis hujus primo clementissimè vocatur, cujus adeundæ provinciæ gratia familiam suam Dresdam ejusdem anni mense Novembri transtulit, sed præter spem, prævia Consilii sanctioris denominatione speciali post obitum Magnifici Dn. SIGISMUNDI FINCKELTHUSII, magni nominis Juris Consulti, Ordinariatus Lipsiensis munus unà cum professione decretalium, assessura Curiæ provincialis primaria & Consistorii Ecclesiastici directione ad Beatissimum singulari Serenissimi gratia devolvitur, & quidem ita, ne Senioratu in Scabinatu Electorali, quem obtinuerat hactenus, per annum integrum cedere teneretur. Huic oneri Ætna graviori succollavit quidem, sed tamen assessuram & directorium in Consistorio Ecclesiastico, ne ne penitus succumberet, declinavit. Verebar enim, scribit in diario suo, ne pluribus occupatus negociis neutri debita præessem diligentia. Quanquam cætera munia quod concernit, in antiqua, ut verum fatear, statione subsistere maluissem, sed cum aliud Deo placuerit, atque hac occasione via & medium ab aula recedendi mihi fuerint data, voluntati divinæ & jussui Electorali non obedire, religio

mihi fuit. Reversus itaque cum tota familia sua Lipsiam, à Dominis Commissariis Electoralibus delatum ad se munus Ordinariatus, præsentibus Juridicæ Facultatis Dominis Assessoribus, & præstitis præstandis, 8. Cal. Maji anno 1645. suscepit. Post biduum primam in Facultate sessionem habuit, quinto verò Nonas Maji primum in jure Baccalaureum tum temporis Philosophiæ Magistrum & juris utriusque Candidatum, jam Virum Amplissimum, Nobilissimum & Consultissimum Dn. D. ENOCHUM HEILANDUM, creavit, tertio Iduum ejusdem, præmissa oratione inaugurali, prælectionum suarum initium fecit, undecimo Cal. Junii disputationem primam ac solennem habuit, quinto verò Cal. ejusdem mensis locum in Consilio Professorum obtinuit, quarto Non. Junii sedem primariam directorium obtinentem in Dicasterio Provinciali supremo adiit, mense sequenti Augusto inclyta Natio Saxonia Senioratum, ut & Concilium Nationale Decemviratum ejusdem anni mense Decembri ad Ipsum detulit, sed Senioratum propter molestias varias cum ejusmodi censuum exactionibus conjunctas anno seqq. Viro Maxime Reverendo, Magnifico & Amplissimo Dn. D. JOHANNI HULSEMANNO, b. r. cessit. Post intercapedinem anni Senioratus in Scabinatu, sed hac annexa conditione, ne traheretur in consequentiam hoc exemplum, singulari Serenissimi gratia τοῦ ἐν εὐλογίᾳ Domino Consiliario fuit prorogatus. Licet autem in demandatis his munerum functionibus injunctorum, ut laudabiliter hactenus fecerat, satagere maluisset, factum tamen divina providentia, ut Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxoniæ JOHANNES GEORGIUS, nominis hujus primus gloriosissimæ recordationis Beatissimum nostrum Dn. Consiliarium propius sibi jungere, Consilioque sanctiori σύνεδρον facere voluerit. Hoc arduum munus nolens volens (ut ipse scribit) aggressus ipsi Serenissimo præsenti Dominica Quasimodogeniti anno 1653. juramento se adstrinxit, & mense Junio istius anni adulto in suprèmo isto Collegio locum obtinuit. Factum exinde, ut omnibus suis officiis, præter assessuram in judicio appellationum, renunciaret. Post placidissimum Serenitatis ipsius obitum & abitum, quem vidit octavus Id. Octobr. anno 56. Serenissimus ac Potentissimus Sax. Elector JOHANNES GEORGIUS, nominis hujus II. Dominus noster Clementissimus officium, quod

in dicto Consilio sanctiore sustinuit ὁ ἐν εὐφημίᾳ noster, ipsi gratiosissime prorogavit. Ingravescente tandem ætate, viribusque corporis decrescentibus, ut à magnis & continuis laboribus, quos exantlaverat hactenus, quadantenus respirare posset, quæsivit, sed occasionem non invenit, donec in Scabinatu Lipsiensi locus iterum vacare cœperit, quem cum Serenissimi gratia recuperavit, Lipsiam redux factus, assessura tamen in Judicio appellationum & dignitate Consiliarii secretioris retenta, pensum vetus postliminii quasi jure 8. Cal. Sex. anno 1661. (quanto cum gaudio, dici vix potest) in manus sumsit. Albis studiosorum hæc verba, extra Lipsiam vivere est miserrime vivere, pristinæ conditionis non immemor tunc inserere solebat. Quantumvis autem iis, & quidem concatenatis negociis, quorum vel singula totum hominem requirere posse videbantur, per annos 46. detentus fuerit, conscribendis nihilominus libris utilissimis, jam longè lateque sparsis, quorum tamen etiam adhuc non nulli latent ἀνέκδοτοι & ætati præsenti & posteritati emolumento esse voluit. Ut editionis tempus & argumentum quoad unum atque alterum hic attingamus, anno 1635 Practicum rerum criminalium, anno 1639 definitiones forenses, vel jurisprudentiam forensem Romano Saxonicam ad Constitutiones Electoris Augusti, an. 1640. Commentarium ad Legem Regiam Germanorum, anno 1642. responsa juris Electoralia, anno 1649. opus definitionum Ecclesiasticarum & Consistorialium cum disputationibus de usu arboris Consanguinitatis & affinitatis, annexis anno 1646. Tomum primum, anno 52. secundum, anno 54. tertium Decisionum Saxonicarum, anno 57. Processum Juris Saxonici, ut sacro silentio veneremur tot disputationes de argumentis gravissimis peculiari volumine comprehensas, in lucem & salivam publicam emisit. Μεγάλη χάρις αὐτῷ. Ut ad Oeconomicam vitam accedamus, præsentiens ὁ Μακαρίτης, quod funiculus duplex non facilè rumpatur, de firmamento & adjutorio vitæ cogitare cœpit, sibique, præmissis præmittendis, elegit Virginem tum temporis prosapiæ splendore, virtutum decore fulgidissimam REGINAM, Viri Nobilissimi & Strenui Dn. HENRICI de Claußbruch in Meisselwitz & Thierbach hæreditarii filiam, quam per solennitates Ecclesiasticas anno 27. quinto Cal. Septembr. in præsentia Legatorum Electoralium & Ducalium sibi junctam vitæ sociam accepit. Conjugalis hic amor sincerus & inte-

mera.

meratus, quo vel ictus & nictus oculorum sibi conformare studuit par hoc amabilissimum, quinque pignoribus, tribus masculis BENEDICTO, HEINRICO JULIO, & BENEDICTO HEINRICO, nec non duabus fœmellis REGINA ELISABETHA, & REGINA CHRISTINA, in infantili ætate ad æterna gaudia præmissis omnibus, fuit obsignatus. Quantumvis autem vulnus non leve mœstissimis Parentibus tam cruda liberorum morte fuerit inflictum, Psalmographi tamen Regii verbis, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, sese Beatissimus Dn. Consiliarius erexit. Post συζυγίαν decennalem, adulto mense Junio anni 1637. & ipsa jugalis suavissima πυρετῷ extincta supremum Vale dixit, qua ruptura quantopere contristatus fuerit, nullus Timantes velo suo tantum eminus abumbrare satis poterit. Viduitatem ex eo tempore per triennium cum semisse non migravit, nec, nisi res Oeconomicæ aliud postulassent, forsan mutasset, donec, rebus suis aliter non ferentibus cum Virgine amabilissima & florentissima, pietatis & virtutis nomine CATHARINA, Viri plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi Dn. MAURITII BURCKARDI, S.S.Th.D. & Prof. P. celeberrimi, nec non ædis Thomanæ Ecclesiastæ filia fœdus conjugale, quod medio Novembri an. 1640. per benedictionem Sacerdotalem consummatum fuit, pepigisset. Quod matrimonium, licet fuerit ἄτεκνον, suavissimum tamen extitit, seque ipso dulcius indies evasisset, nisi mors invida par hoc amabilissimum per Collateralis & sociæ mortem immaturam, cum decennium & semestre spacium commune jugum suaviter traxissent, disjunxisset. Super hac jactura tantopere consternatus fuit ὁ ἐν ἰατρευτικοῖς noster, ut viduum non exuerit, sed res domesticas per Sororem primum dilectissimam, post ejus mortem verò beatam per Consanguineas & Affines administrari curaverit. Vitam istius Christianissimam quod attinet, licet instar Enoch cum DEO semper ambulaverit, non tamen nisi infirmitatis suæ post mortem mentionem fieri voluit. Si tamen dicendum nobis, quod res est, imago Christiani fuit amussitata, tritum istud de Jurisprudentibus vel suo satis confutans exemplo: hypocrisin omnem cane pejus ac angue vitavit, à concionibus sacris & precibus publicis, nisi causa sontica retraheretur, nunquam abfuit, non trimestri, sed menstruo propemodum spacio

Eucharistiæ usurpatione fidem suam nutrivit. Bibliorum exemplar quod ad extremum volvebat halitum, ter & quinquagies à capite ad calcem percurrit, nec lectione cursoria contentus commentariis etiam evolvendis certas diei horas destinavit, prout marginales glossas D. ANDREÆ OSIANDRI, ex interlinearibus LUCÆ desumtas & contractas tribus vicibus, notas D. DANIELIS CRAMERI duodecies perlegit, super Biblia sacra meditationes αὐτοχειρὶ consignavit, ita, ut si Soli & aprico sisterentur manuscripta Ipsius omnia, Theologica Juridicis palmam facere possent ambiguam, conciones, quas audivit, sacras in tabellas domi congessit, uno verbo, πολίτευμα suum in cœlis habuit. Constitutus in summo dignitatum fastigio humilitatis fuit studiosissimus, erga pauperes liberalissimus, erga omnes opis indigos ad juvandum paratissimus, in quavis fortuna τετράγωνος, justitiæ tenacissimus, temperantiæ servantissimus, adversus ea, quibus ad iram commoveri potuisset, victoriosissimus. Verùm, licet per DEI gratiam ab ætate prima ne tentatiunculas quidem morborum senserit, prætterquam quod annis analysi beata proximis cum calculi doloribus & articulari morbo colluctari cœperit, viam tamen omnis carnis & Ipse tandem ingredi coactus fuit. Nono siquidem Cal. Septembr. diarrhœa infestari cœpit, & licet Scabinatum pro more die sequenti accesserit, infirmior tamen domum rediit, ita ut lecto, qui tandem emortualis evasit, affixus fuerit. Quantumvis autem Domini Medici nihil intermiserint eorum, quibus amissa sanitas restitui potuisset, morbus tamen incrementa sumsit, vires decrementa passæ. Quare conclamatum esse præsentiens, quinto Cal. Septembr. peccatorum suorum confessionem edidit, & sacro viatico ad beatam ex corporis ergastulo emigrationem se instrui curavit. In precibus interea & meditationibus τῶν ὑπερώνων permansit assiduus, donec tertio Cal. Septembr. post 1. antelucanam integro rationis usu, sine motu & metu inter preces adstantium, postquam in summa felicitate Viri sapientis annos 71. 13. septimanas, quinque dies, horæ semissem vixisset, in manus Salvatoris animulam beatam emisit. Magne CARPZOVI, vixisti, si voce hac de æternum victuro uti licet, ut vitæ pœnitere nunquam possit. Vixisti, ut CARPZOVIANUM nomen pietatis & Justitiæ nomen posteritati sit habendum. Hic immortalis nominis gloria, isthic alloquium SALVATORIS jucun-

jucundissimum Te manet: Venito, BENEDICTE, possideto regnum paratum Tibi à condito mundo. Sit interim CARPZOVIANUM nomen in perpetua benedictione! Floreat, vigeat, emineat! Exemplo suo stabiliat istud regii Psaltis: Rectorum benedicetur generatio: fiat. Nos, ut nomen tuum, BENEDICTE CARPZOVI, diffuso melle suavius in ore gestabimus, ita relictas nobis dulces exuvias, S, S. templum post primam in templo Academico perpetuum ornamentum apud communem Matrem deponemus. Nostris vox una sufficiat: CARPZOVIUS noster effertur: sequimini. P. P, VIII. Id. Septemb. Anno M DC LXVI.

PROGRAMMA

AD

EXEQVIAS

VIRI

NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. HENRICI HAHNII,

JURISCONSULTI, ET IN

ACAD. JULIA PROFESSORIS CELEBERRIMI LONGEQ. MERITISSIMI, ORDINIS SUI SENIORIS ET DICASTERII GUELFICI ASSESSORIS &c.

P. P.

NONIS APRIL, cIↄ Iↄc LXIIX,

PRO-

PRORECTOR EE SENATUS
ACADEMIÆ JULIÆ

CIVIBVS SVIS

S. D.

INgentem quarto poſt viceſimum Februarii menſis die jacturam fecit Academia hæc noſtra Julia, repentino obitu HENRICI HAHNII, JCti magno utique & celeberrimo nomine, perque annos integros ſeptem viginti amplius de ſtudiis cum juventutis noſtræ, tum paſſim quoque aliorum optime meriti Profeſſoris, ut & forenſium cauſarum æquitate ac prudentia præſtantiſſimi judicis, viri probis omnibus benigni, nullus moleſti. Neque vero damnum hoc non eſt univerſæ huic Academiæ commune, etſi Juridicum Ampliſſimum Ordinem propius videatur tangere. Præterquam enim quod omnes nos amiſerimus Collegam fidum, amicumque ſine fuco & fallacia, quæ dotes quo rariores ſunt, eo amiſſæ plus dolent: iſta eſt ſtudiorum firma connexio, ut unius ſcholæ adverſitates tantum non omnes perinde afficiant: nemoque non agnoſcit, cum utilitatem, tum dignitatem Juridici Collegii illam eſſe, ejus ut fortuna ſive proſpera, ſive ſequior Academiam univerſam varias in partes flectat involvatque. Sed & perquam difficile erit tantam jacturam reſarcire: quia in Jurisperitorum claſſe nomen profitentium eſt quidem perquam numeroſa copia, præ aliis tamen præſtantium rara multum, HAHNIO autem noſtro ſimilium hoc eſt eorum, qui aut velint, aut poſſint uni Academicæ vitæ magno cum ſtudiorum emolumento ſeſe ſuaque conſecrare, longe rariſſima. Cæterum haud dubitamus, fore brevi, uti Sereniſſimorum Principum ſolita providentia atque vigilantia, in vacuum locum, ſi non omnino par: ſaltim haud multò diſpar, & docendi pariter deque jure reſpondendi peritus commodusque ſucceſſor adveniat; id ſane obſecramus nos omnes DEUM, vos quoque Cives jungere nobiſcum vota confidimus: nunc autem de ultimo officio viri optimi exuviis præſtando cumprimis ſollicitos nos eſſe jubet hic dies exequiis dictus. *Reddenda* ſcilicet tandem *terra terræ*, ut ille ajebat, atque emortuum corpus in ſedem feliciſſimæ ἀναβιώσεως eſt recondendum. Non enim duntaxat humanitatis

hoc

hoc eſt & communis pietatis, ceu omnibus placuit moratioribus per orbem univerſum gentibus: ſed etiam ſigillatim à nobis Chriſtianis requiritur, de certa reviviſcendi exſpectatione divinitus edoctis. Quod ipſum proinde ut rite fiat, etiam memoria vitæ tanti viri optima conſuetudine paucis heic repetenda fuerit: præſertim cum illa poſſit vobis cedere in exemplum, quod laudetis vel etiam imitemini. Usque ſcilicet adeo undique τῦ μακαρίτυ rebus probe ſeſe habentibus, partim unico divinæ providentiæ beneficio, partim & propria virtute. Igitur genitus quondam fuit Hahnius noſter die viceſimo octavo Auguſti menſis, anno ſæculi hujus Chriſtiani ſeptimi decimi quinto. Contigit ipſi in natalem locum metropolis ipſa vicini incluti Epiſcopalis Principatus Hildesheimium: nactusque eſt patrem illius loci Senatorem, matrem vero matronam lectiſſimam Eliſabetham, utrumque Senatorii ordinis parentibus proſatum, illum Hahniæ, hunc Buſſiæ illo loco claræ domus: & utrique avo in piam recordationem ut & patri ipſi factus eſt cognominis. Hoc omne ſolius eſt divini muneris. Nec enim hujus quidquam in noſtra eſt ſitum poteſtate. Reliquum omne debetur quidem itidem cœleſti liberalitati: in partem laudis propriæ tamen venit, divinis beneficiis uſum eſſe ex ſanctiſſimi Numinis inſtituto. Et vero data cœlitus Hahnio noſtro erat indoles bona & ingenii vis quædam eximia: à parentibus verò literis addiſcendis admotus, jam tum tenera ætate non fefellit ille parentum exſpectationem, ſed diligentia & probitate æqualibus prælucens, eos fecit progreſſus, ut magnæ doctrinæ tandem comparandæ certiſſimam ſpem faceret. Fuit autem ille etiam felix in magiſtris præclaris commodisque conſequendis; quo deſtituta ingenia quamvis inſignia videas ſæpe haud poſſe emergere, ſed corrumpi: ut agri etiam fœcundi nonnunquam vitio agricolantium nihil ferunt bonæ frugis. Accepit verò in ipſamet patria inſtitutores publicos cum alios, tum M. Johannem Gottfleiſch poſt Vibicæ Eccleſiæ Superintendentem, & M. Martinum Gödeken; quorum induſtriam & fidelem informationem gratus diſcipulus etiam ſenex haud deſiit commendare. Quoniam vero illa tempeſtate magnum præ aliis erat juventutis probè educandæ nomen Joannis Neudorfii, in Goslarienſium Imperiali libero oppido ludi moderatoris, placuiſſetque parentibus etiam iſthuc puerum mittere; obſecutus etiam illic

illic est suorum voto, nec minus huic novo magistro sese virtute & industria reddidit acceptissimum. Ibi ille Græcæ Latinæque linguæ (quæ fere cura erat unica prudentissimi Nendorfii, alienissimi scilicet ab illa præpostera plurimorum ratione, nullis laborum gradibus observatis, teneros pueritiæ animos solida rerum doctrina quasi suffocandi) accepit rudimenta, quibus imbuto facile deinceps fuit ad ultiori justos studiorum graviorum fructus, reliqua ætate omni, & capere & aliis reddere. Itaque ingressus annum ætatis XV. qui seculi hujus erat XIX. 11. Aprilis in hanc concessit Academiam Juliam, quumque suetam adhiberet diligentiam & probitatem, publice privatimque optimis præceptoribus audiendis, magnum indies fecit doctrinæ incrementum. Florebat tum Philosophicus Ordo, qui solet plærumque excipere teneriorem adolescentiam, cum aliis viris insignibus: tum Conrado Hornejo, in Cornelii Martinii locum Logices publico quidem constituto Professore qui tamen simul privata opera cum Ethica tum Metaphysica docebat; & Nicolao Granio universæ ἐγκυκλοπαιδείας & sedulo maxime & felice doctore; & Christophoro Heidmanno ut publicè eloquentiam, ita privatim historiam veterum magno cum applausu profitente. Non decrant etiam alii extra Professorum illum Ordinem aliquot viri insignes, qui juventuti operam eximio cum fructu domi suæ elocabunt. Florebat Juridica (ceu vulgo loquimur) Facultas quam maximè Joanne Stuckio Ordinario, Henrico Andrea Cranio, Viris quos scripta monumenta non patiuntur ignorare, atque extra ordinem tunc allecto Henrico Schmerhem / cui cum polleret διδακτικῇ dexteritate, nec Collegii consultationibus occuparetur, vacabat præ aliis docendo disputandoque juventutem exercere. Candidati etiam aliquot illius prudentiæ Juris honorum, strenue tyrocinia doctrinæ suæ exequebantur. Hisce omnibus, cum perpetuo studiorum fructu atque emolumento, prout ætas capiebat, magistris indies est usus Hahnius noster, fugiens otii & quæ hinc nasci solent vitiorum. Verum feliciter currentem anno hujus seculi vicesimo quinto primum pestilens lues, mox bellica erynnis, ut universam Academiam dissipavit, ita & hunc juvenem rupto studiorum filo in patrium oppidum ad suos confugere coëgit. Nihilo secius tamen, quod hîc negatum, alibi quærere discendi ardor compulit. Isthoc consilio ergo Rostochium petiit: ibique

in

in convictum quidem sese dedit amplissimi illius urbis consulis & præstantis viri Melchioris Klingii: audivit verò publice Lindemannum & Cothmannum, utrumque celeberrimæ partæ scriptis famæ Consultum Juris. Cumprimis verò privatim usus est manuductione Christophori Lotichii, quem heic etiam audierat, doctissimi viri & post Illustris Alvensleviæ gentis subditorum Calbensis judicis. Comitatus enim Henrico Rhanen/ vetere in hac quoque Academia condiscipulo, quem doctrina itidem post Professorium in Ordinem & Consistorianum Senatum Rostochii evexit, ductu Lotichii illius, universum Romanæ Jurisprudentiæ ambitum, respondendo opponendoque, uti mos fert scholarum, est persecutus. Quo nomine solebat vir beneficiorum acceptorum piè memor, Lotichio nunquam non agere gratias. Cum placuisset autem maxime ea quæ hic observatur docendi discendique ratio, & Rostochii non minus quam Germaniam alibi omnia diro Marte turbarentur, simulatque anno tricesimo primo circiter respirare nonnihil visa est hæc Julia & quasi cum Musis & Themide redire in gratiam, Hahnius etiam noster huc reversus, perrexit quidem optimos magistros Juris consulere, ac docentes audire, in id Schmerhemio præ aliis usus: etiam verò ipsemet, approbante Juridico Collegio, docendo disputandoque juvenes cœpit strenuè exercere. Quo sibi quidem laudem magnam & promtitudinem Professoriam paravit, discentibus verò profuit insigniem in modum. Causis quoque agendis sæpe plurimum commodavit partium rebus, simulque hoc ipso Consultationibus Juridicis & tribunalibus sese idoneum reddidit. Nec verò absque hisce exercitiis præviis, & quasi progymnasmatibus, temere quis poterit vel docere jus, vel respondere consultus de jure, vel tribunali præsidere. In hunc modum vixit apud nos Hahnius in annum usque seculi quadragesimum: gratus omnibus plurimisque discentibus magister, & clientibus fidelis patronus, multos per annos approbatus. Pridem etiam judicatus dignus Professoria cathedra, si locus patuisset: legibus non nisi tres Professores Juris tum temporis amittentibus, & Academiæ rebus perquam difficilibus. Postquam verò in aulam nono post tricesimum anno evocatus Joachimus Weckius, præclarus Juris Professor, vacuam sedem suam fecisset, Senatus quidem Academicus nihil prius habuit quam operam dare, quo Hahnius à Principibus no-

stris

ſtris Sereniſſimis ſufficeretur. Laborandum tamen Senatui noſtro fuit ferè per ſeſquiannum: aularum ſtudiis in diverſa (ut ſunt res humanæ) neſcimus qua intempeſtiva æmulatione diſtractis. Demum videlicet initio anni quadrageſimi primi literis verè Auguſti Ducis confirmatus eſt Hahnius noſter Inſtitutionum Profeſſor. Quando jam tum menſe Octobri anni noni triceſimi, Decano Joan. Thoma Cludio, à Collegio Juridico ſolemnibus examinibus ac periculis probatus, & ſequentis anni menſe Septembri eodem Decano Juris Doctor eſſet inauguratus. Ex illo uſque tempore, per annos viginti ſeptem ac quod excurſit, initio quidem Juſtinianearum Inſtitutionum ceu diximus, inde Pandectarum, denique Codicis egit Profeſſorem: juſta ſemper diligentia nec minore cum fructu. Quo effectum ut ex ipſius inſtitutione, velut ex Trojano equo, complures hactenus prodierint, qui jam tum vel Academiis vel judiciis ſumma præſunt cum exiſtimatione. Non docuit autem duntaxat voce viva, ſed etiam editis ad poſteritatem monumentis. Quæ inter doctorum calculos jam pridem meruit in primis eximium illud Obſervatorum & Annotationum ad Weſenbeciana Paratitla volumen: tanto omnium applauſu exceptum, ut non multos intra annos jam tertiâ vice publicari debuerit. Et verò iſthoc potiſſimum in opere doctrinam atque induſtriam ſingularem oſtendit Hahnius noſter, nec alia ſua perinde æſtimavit: adeoque & tertiæ illius editioni eſt immortuus, omnibus tamen ante obitum probe compoſitis, ut quodammodo cygneæ inſtar cantionis habeat iſthæc tertiatio. Cum varia nimirum ſit dicendi juris ratio, non placuit Hahnio, antiquis quibusque & dudum antiquatis immorari, ſed ſpectato fori & temporum noſtrorum uſu, in illis legibus & conſuetudinibus & controverſiis illuſtrandis voluit maxime curam ſuam occupare, quæ in judiciis hodie inveniunt locum: eorum tamen ſimul æquitate ad naturalis juris normam exacta, quod munus eſt veræ & non fucatæ Juris philoſophiæ. Ut proinde illud opus & pragmaticis pariter hominibus & ipſis Academicis doctoribus poſſit inſervire. Nec verò non attulit ad ſcriptionem, præter accuratam naturalis & communis Romani Canonicique juris peritiam, magnam plærarumque Germaniæ regionum, cumprimis hujus Ducatus Brunſvico Lyneburgici, conſuetudinum notitiam. In numerato, præterea habuit

buit responsa plurima decisionesque cum incluti Collegii nostri Juridici, tum & illustris Judicii aulici Wolfenbüttelensis, cujus simul per aliquem multos annos primarium Assessorem egit. Ex quibus thesauris proinde, haud difficile ipsi fuit, promere ad instituti operis illustrationem, & praxi forensi nostræ & Academiæ pariter idonea. Ne quid nunc dicamus, in causis cum agendis tum judicandis quam fuerit exercitatus Hahnius noster. Fuit verò exercitatissimus: quandoquidem multos adeò annos non oscitanter sed magno studio (ceu par est, cum non tantum de fortunis sed de fama imo vita hominis sæpe sit controversia) concreditas sibi causas quasque perlegere & arbitrari assuevisset. Quo nomine & Judicio isti illustri & Collegio nostro Juridico utilissimus fuit & omnibus gratissimus. Uno verbo: fuit Hahnius noster magnus Juris omnis & docendo & scribendo & agendo magister, atque adeo Juliæ hujus decus atque ornamentum singulare. In universa porro civili vita commodus acceptusque bonis omnibus: ne malis quidem omnino invisus, qua erat morum humanitate lenitateque. Fuit verò studiis & laboribus Juridicis peragendis eò aptior, quo à domesticis curis minus impediretur: nactus utroque matrimonio matronas plane ad ingenium mariti bene compositas, & domesticæ omnis rei sedulas curatrices, neque sobole numerosa aut immorigera oneratus. Primum enim ipsi connubium fuit cum lectissima virgine Anna Maria Amplissimi & Consultissimi viri Danielis Pfeifferi J. U. D. & in Cancellariæ Aulicoque judicio Wolffenbütteli quondam Advocati celeberrimi, ex Anna Bökelia matrona insigni, filia. Initum illud fuit in mediis quidem turbis bellicis, hac ipsa in urbe, XVI. die Junii, anno seculi tertio post tricesimum, sed domestica tranquillitate & prole felix. Et vero primo statim partu gemellos enixa est conjux, masculum fœmellamque, hanc hodieque superstitem. DEUS addat vitæ diuturnitatem. Vidit deinceps genitos sibi ex eodem hoc matrimonio adhuc filiolum unum & binas filiolas: omnes verò à DEO sibi mature ereptos, non minus atque filiolum primum, afferre fuit coactus. Ita omnis parentum cura in unicam filiam ANNAM SOPHIAM potuit devolvi. Quam duodecim retro annis viro Magn. Nobiliss. Ampliss. & Consultiss. JOANNI EICHELIO, JCto pereximio & cum Ducali

Brunſvico Lyneburgico Conſiliario & Vice-Cancellario & Saxonico, tum in hac Academia Pandectarum Profeſſori publico, Judiciique Aulici Aſſeſſori &c. & ſuo & noſtro Collegæ honoratiſſimo, elocatam, omni iſthoc tempore conſpexit florentem & tantùm non und que beatam, ſeptem ex illo matrimonio liberorum, quorum jam tres tamen obierunt, etiam avus redditus. Hujus primi matrimonii felicitatem turbavit quidem mors dilectiſſimæ conjugis die viceſimo ſeptimo Martii, anno ſeculi ſeptimo quinquageſimo: proximus tamen annus menſis Julii die tertio decimo reſarcivit damnum, accepta in conjugium alterum, matrona non minus virtute & in maritum obſervantia præſtanti, Hedvvige Arents/ Reinholdi à Bechelt Brunſvicenſis Patritii tum vidua. Etſi enim improle fuerit hoc connubium, fuit tamen Hahnio noſtro jam in ſenium vergenti, adeoque interdum valetudinario, plane ex voto, & omnibus fauſti matrimonii commodis affatim inſtructum. Nec enim illud unquam ærumna aliqua temerari, expertus eſt. Ita perpetuo potuit Collega noſter mandato ſibi fungi munere, procul curarum & vacuus à negotiis domeſticis. Fuit autem hoc ipſi longe acceptiſſimum, alieniſſimo à deſidia, dedito autem maxime laboribus, cumprimis Juridicis ſuis. Quod vitæ genus, ſpretis variis hinc inde oblatis ampliſſimis dignitatibus, ut ingenio maximè idoneum ac proinde ſibi dilectiſſimum, unice fuit amplexus. Sed & valetudine ſic ſatis firma fuit uſus, donec ſenectus moleſtias cœpit faceſſere: atque adeo ne hac quidem ratione labores ſveti multum ſunt remiſſi. Imo vero proximis aliquot ſeptimanis viſus ſibi eſt ſolito robuſtior. Ne quidem is, qui mortem attulit, morbus, ſtudiis multum decerpſit. Eryſipelate enim dextri brachii viceſimo primo Februarii ſub veſperam correptus, ex aptis remediis tantum ſenſit levaminis, ut tertio die dolore liberatus & in muſæo deambulaverit & cœnaverit cum uxore. Proxima verò demum nocte uſque adeo recruduit & incanduit malum, ut collabaſcentibus ſenſim viribus, ſequente meridie, duodecima aut prima circiter hora, placida morte inter lachrymas ſuorum exſpiraverit: completis vitæ annis ſexaginta duobus, menſibus ſex, diebus tribus & horis præter propter quinque. Adfuit ferè agonizanti vocatus à jam vidua & filia D. Cellarius noſter, cui exomologeſin facere ſolebat: eique ſacris ſententiis quantum fieri potuit valedixit

dixit. Nec dubitamus, cujus vita omnis à prima usque infantia Christo Servatori unice fuit dedita, exemplar probitatis, ejus morte redditam Deo animam, sanguine immaculati agni ablutam, jam in paradiso feliciter conquiescere, etiam corporis sui redunitione ad immortalitatem exspectata. Sic vixit, sic mortuus est optimus Hahnius noster. Nos orbati collega & amico longe carissimo, obitum hunc etsi forte illi haud immaturum, seriò dolemus. Nec dubitamus, vos etiam CIVES, lugere præceptorem doctrina haud cuiquam secundum: daturos quoque operam bonos omnes, uti ad tanti viri exemplum vitam moresque pro virili componant. Ea propter non etiam arbitramur longa opus esse cohortatione ad vos invitandos, quo hodiernas exequias (efferetur autem funus ex defuncti ædibus stato tempore) frequente comitatu prosequamini. Isthuc sane compellunt vos & merita præceptoris, & vestra in illum pietas. Imo verò officii hujus vos admonet, Magnifici etiam D. Eichelii socerum lugentis, & in omnem hanc Academiam & in vos quæ nunquam non præstantur beneficia. Quin igitur comparebitis quo par est numero, quæque locum tempusque decet morum modestia funus comitabimini V. P. P. in Acad. Julia V. April. Anno cIↃ IↃc LXVIII.

Celebratissimo huic JCto habita fuit *lugubris* quædam *Concio* à *Balthas. Cellario*, SS. Theol. Doct. Profess. P. & Superint. Generali, ex *Dan*. XII. 2. 3.

SCRIPTA.

Biga selectarum Dissertationum de Processu judiciario: *Helmstadii* 1656. 1660. 1670. in 4.

Exercit. de jure forensi: *ibid*. 1654. in 4.

Dispositio Pandectarum: *ibid*. in Fol.

Selectæ Inaugurales dissertationes de jurisdictione veteri novaque: jure Num. Instrumentis & legitima defensione: *ibid*. 1658. 1670. in 4.

De jure Imperii Germanici: *ibid*. 1660. in 4.

De differentiis juris civilis & Canonici dissertatio: *ibid*. 1665. 1661. in 4.

Conclusionum Juridicarum Decades quinque: *ibid*. in 4.

Observata Theoretico Practica digesta & in notas Baccov. ad Matth. Wesenbecium : *ibid*. 1659. in 4. 1668. in Fol. *Coloniæ Agripp*. 1675. in fol.

Disputationes VII. ad Codicem : *Helmst*. in 4.

Controversiæ Feudales : *ibid*. in 4.

Διατάγματα Judæorum oder Jüden-Ordnung : *ibid*. 1661. in 4.

Dissertationes de Interpretatione Legum : *ibid*. 1650. in 4.

Disputationes, quas ipse conscripsit vel suo munivit præsidio, sunt : De licentia renunciandi, ex celebri Lege 29. cap. de Pact. De Transitione Possessionis in Heredes : De modo agendi in judiciis : De Appellationibus & reliquis suspensivis remediis : De judiciis Ecclesiasticis Protestantium : De diffamatione : De injuriis earumque actionibus : De Controversiis Criminalibus : De Interventione : De jure hæreditario & remediis pro eo competentibus : De Pignoribus & hypothecis : De judiciis regalium : De Obligationibus in genere & in specie de deposito & sequestratione : De Actionibus personalibus : De altero tanto præcipuè usurario : De Pacto Retrovenditionis : De Laudatione Domini & autoris : De amicabili divortio : De tutela matris : De jure nobilium singulari : De beneficio inventario heredis : De ratificatione : De Dispositionibus parentum inter liberos : De corpore delicti : De Præventione jurisdictionis : De læsione ultra dimidium ad L. 2. c. De rescindenda venditione : De Interpretatione Legum : De spolio : De ambitu Ecclesiastico, Simonia : De jure Decimarum : De Alimentis : De jure indigenatus singulari : De Repressaliis : De Pactis : De jure sexus fœminini singulari : De Oppigneratione Feudi : De Legationibus sive Legatorum auctoritate & privilegiis. De fructibus : De quinque pedum præscriptione : De Ratiociniis : De sorte, usuris, & pensionibus solvendis : De Processu forensi in genere, utque per Recessum Imperii Ratisb. de anno 1654. salutariter emendari cœptus est : De Exceptionibus in genere & specie : De Mora : De Fidei-

Fideicommiſſis familiæ : De Teſtamentis minus ſolennibus : De ſequeſtro : De jure Retractus: De mutuis petitionibus & mutuis accuſationibus: De Conductore expellendo ante finitam locationem : De injuriis circa famam vel honorem : De Mutuo Univerſitatum : De Evictionibus : De judiciis poſſeſſoriis : De Præſcriptione Mendaciorum reſcriptis & mandatis opponi ſolita : De Fructibus : De annuis Reditibus, & quatenus illi juſti vel injuſti ſunt : De juribus ac Immunitatibus SS. Eccleſiarum : De Summariſſimo Poſſeſſorio : De jure utendi fruendi ex ſervitute propriè ſic dicto : De ſemiplenis Probationibus & modis, quibus ab onere probandi relevetur : De Teſtamento valido ſeu perfecto : De jure dotium : De ſpeciali in rem actione ſive rei vindicatione : De caſu fortuito non liberante mutuatarium : De Anticategoriis : Enodatio Quæſtionis , de uſuris per belli nuperi calamitates reſiduis,



PROGRAMMA
Ad Exequias
Viri Consultissimi atque Amplissimi,
DN. ENOCH GLÆSERI,
JCti & in Academia Julia Institut. Imperial. & Crimin. Prof. P. Ordinarii,
Nec non p. t. Vice Rectoris Magnifici,
P. P.
d. XXVII. Septembr. ꟾꟾꟾ ꟾↄc *LXIIX.*
à
PROVICERECTORE ET SENATU ACADEMIÆ JULIÆ.

HOc igitur post tot funera nostrorum ad majorem Academiæ calamitatem reliquum erat, ut ProRectori quoque nostro exequias pararemus. Tertius hic est ex Professorum ordine sextum intra mensem, cui ultimum officium mœsti præstare cogimur. O infelicem huic JULIÆ annum! cujus omnia transacta tempora nobis fatalia fuerunt, cujus & ver, & adulta æstas, & autumnus denique nova semper clade ferax fuit. Equidem dum calamitas calamitatem trahit, & ruina ruinam involvit, adsuevisse quodammodo malis nostris videri possemus, & dolorem lacrymasque consuetudo ipsa intercipere. Verùm quodlibet funus eorum, quos extulimus, peculiarem dolendi materiam suppeditavit. Nunc in uno non tantum desideratissimum collegam, bene meritum Professorem, virum virtutis & eruditionis nomine ubique celeberrimum, sed Academiæ hujus Juliæ, quæ ab ipsis suis natalibus altera tantùm vice hanc calamitatem experitur, Pro Rectorem, Serenissimorum Principum apud nos vicarium, amisimus.

Mol-

- - - Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Dum lacrymas dedit, hæc nostri pars optima sensus.

Indulgeamus paullulum justis lacrymis, Cives Academici, & cœtus nostri caput ereptum nobis doleamus. Qui concordibus omnium in Senatu nostro suffragiis electus, qui à Serenissimo Principe ac Domino, DN. RUDOLPHO AUGUSTO Duce Brunsv. & Lynæburgensi, Rectore hodie magnificentissimo, Domino nostro clementissimo, confirmatus fuerat, ut sceptra hujus scholæ per integrum semestre teneret, vix dum binis mensibus elapsis, oculis nostris subducitur. Fuit tempus, cum inire magistratum magna alacritate vidimus, quem cum morte deposuit: cum collegæ omnes fausta ipsi apprecati, cum vos, egregii juvenes, doctis carminibus gratulati estis, cui nunc lessum scribitis. Vidimus pro incolumitate hujus Juliæ sollicitum, pro salute omnium vigilantem. Non imbecillitas corporis dimovere à proposito: non fatalis languor optimam erga Academiam mentem lassare potuit. Corpore suo ad hos labores, etiam contra ejus conditionem, utebatur. Et hæc quidem neminem ferè latent. Quæ minus cognita sunt, quæ de natalibus ejus accepimus, de vita bene acta exituque beato novimus, hoc in loco imprimis merentur exponi. In Imperiali Silesiæ urbe Landshuto anno seculi hujus vigesimo actavo VI. Non. Martii primum lucem vidit. Parentes habuit honestos probosque: Patrem CASPARUM GLÆSERUM mercatorem ex primariis illius urbis: matrem ROSINAM KEILINAM, piam & omnibus virtutibus ornatam matronam. Illa quidem non ita diu supervixit. Parens verò, cum ante biennium demum rebus humanis exemptus sit, fructum aliquem curæ filio educando impensæ ex crescente gloria illius haurire potuit, lætisque ejus successibus ultima ætatis solari. Multa certe his suis parentibus debuit noster. Primo paucis ab ortu diebus per sacrum baptisma regenerato nomen ENOCHI imposuerunt: dein vero, ut in vera quoque pietate educaretur, sedulam operam dederunt. Erant tum illa infelicia tempora, quibus superiorum auctoritate non parum affligebantur, qui Augustanæ Confessioni addicti erant: variisque modis & artibus utebantur, qui hac violentia promovere religionis suæ pomæria volebant. Solliciti idcirco pro filiolo suo parentes, innocentisque ætatis maxi-

mam habendam rationem rati, quomodo fidei fundumenta rectè addifceret, ad eamque conftanter profitendam mature fe confirmaret, deliberarunt. Quid verò conferre majus liberis Parentes poffunt, quam fi in vera fide informare eos faciant? Cum præfertim notiffimum fit, quam difficulter dein falfa doctrina relinquatur, ubi quis in prima ætate ad eam, tanquam ad fcopulum aliquem delatus, adhæferit. Placuit tum, ceu tutiffimum locum, eligere præftantiffimam urbium Silefiæ Vratislaviam, cum præterea illa celebri Gymnafio effet inftructa, adeoque filii ftudiis aptiffima. Eft hodie illa regio non litteris minus illuftris, quàm armis: ad cultum vero animorum non parum contulit Vratislavienfe illud feminarium. Hic verò GLÆSERUS nofter, cum & ingenio polleret, & ardore ad ftudia fingulari ferretur, occafione tam ampla egregiè ufus eft. Profectus in Græcis Latinisque litteris faciebat admirandos, eratque eo nomine præfens omnibus docentibus carus, difcedensque non fine fingulari ingenii & induftriæ teftimonio dimittebatur. Annus erat quadragefimus fextus feculi, ætatis decimus octavus, cum Præceptorum fuafu Wittebergam iret, ut ibi ftudia feliciter fuccrefcentia ad maturitatem deduceret. Vix eam intraverat, cum modeftia fua & diligentia optimos quosque fibi obnoxios reddidit, fcriptisque carminibus quibusdam, ingenii & doctrinæ fuæ teftibus, & famam invenit, & benevolentiam fummorum virorum promeruit Erat enim pangendi carminis egregius artifex, naturali quadam propenfione eò inclinans. Sine illa enim, aut repugnante natura, quicunque etiam labor adhibeatur & induftria, exfucca nimis & famelica carmina fiunt, febres meræ. Ingenium, inventio, vis, facilitas arte non traduntur.

Ingenium cui fit, cui mens divinior, atque os
Magna fonaturum, do nominis hujus honorem,

Verfari tamen dein futurus Poëta femper in optimarum artium ftudiis: optimos quosque ad imitandum fibi proponere & fecum ipfe quotidie certare debet. Sic ubi fe naturæ ars jungit & exercitatio, illud, quod in Poëta requiritur, divinum exurgit. Equidem fi de ullo, certe de Poëfeos ftudio verum eft, illud pro indole cujusque ac fenfu pretium invenire aut contemptum. Apud plurimos tamen male audit, culpa partim ineptorum, partim male utentium. Invenias enim fub Poëtarum nomine, quibus præter

vani-

vanitatem & ſcribendi pruritum ſupereſt nihil. Fatua atque inſulſa eorum carmina ſunt, ſine ulla vi, ſine acumine, ſine pondere ſententiarum, & tamen carmina vocantur, quia metiri ea digitis poſſunt. Alii ſucciplenos quidem & elegantes faciunt verſus, ſed venales, quaſi in macello aut foro, proponunt. Rectius autem facerent inepti illi, ſi à Muſis omnino manus abſtinerent, cum nihilominus inter doctos haberi poſſint. Reliquis vero optaremus, ut & odiſſe Poëſin inciperent, quam ita proſtituunt. Fruſtra certè filiam pulcherrimam habuit, qui eam malè elocavit. Longè vero aliter, ac iſti, ſe geſſit GLÆSERUS noſter. Talia enim componebat carmina, in quibus nec eruditionem deſiderares, nec ſuavitatem, omnia autem plena illius gratiæ, quæ, quantum virtutis habeat, alii vel hoc ipſo cognoſcunt, quod imitari in ſuis & aſſequi nequeant. Obtrudebat autem ea nemini invito, ſed occaſionibus utens vel æternæ Principum Procerumque memoriæ, vel amicorum conſecrabat neceſſitudini. Et hic vero & illic ſperato præmio non excidebat, favorem utrobique mercatus & gratiam. Scribebat autem carmina, non Latina tantum, ſed vernacula quoque lingua, cum præſertim à Martini Opitii Incomparabilis Poëtæ temporibus Germanica Poëſis non exculta tantum magis eſſet, ſed plures quoque amatores cum alibi, tum in Sileſia, inveniret. Quantum in ea profecerit, notiſſimum eſt, nec à nobis hoc loco memorari debet, cum plurium illuſtrium Poëtarum, ut Schottelii, Harsdorfferi, Riſtii, Philippi Zeſii, aliorumque extent ei ſcripta elogia, quorum quidem ut intelligentium judicio hac in re utique ſtandum fuerit. Imprimis autem jam dictis nominibus carus fuit grandi illi Wittebergenſis Academiæ ornamento AUGUSTO BUCHNERO. Cenſor erat ingeniorum maximus, politiorisque litteraturæ laude per totam Europam celeberrimus cumque in noſtro peculiare ingenium cum inſigni doctrina deprehenderet, amabat plurimum & ſe familiarem illi exhibebat, ut etiam à nonnullis præclaris Viris gratulantibus ne, an invidentibus? Amicus Buchnerianus nominaretur. Non ſtitit autem hic GLÆSERUS noſter, ſed præter has exercitationes, quibus & ſtylus perficitur, & eruditio impletur, aliturque & eniteſcit, velut pabulo lætiore, ingenium alia meditabatur. Non ille votorum ſuorum ſpem ſolis

carminibus includebat: non flores pluris faciebat, quam fructus. Erat ipsi in animo, Jurisprudentiæ sese dare, quam jam illotis manibus se non aggredi putabat. Ulterius tamen & Historiæ veteris & Philosophiæ Practicæ cognitionem, futuro JCto maxime necessariam, sibi comparare allaborabat. Commodum illi occurrebat Academia Julia, intelligentibus rerum valde eo nomine probata, quod, ceu alias disciplinas & artes, ita etiam Jurisprudentiam ex veris & solidis suis fundamentis traderet. Venit in eam triennio post, quam Witebergensem Academiam intraverat, propositique sui tenax ad præstantis Philosophi & Oratoris HENRICI JULII SCHEURLII, Moralium in hac Academia Profess. Publ. amicitiam viam sibi paravit, domo & convictu illius usus. Placuit verò huic admodum ob commodos mores, modestiam, eruditionemque. Neque verò majorem aliis, primariisque in hac Academia viris sese commendandi difficultatem invenit. Non defuerunt enim ab ipso usque ortu huic Academiæ Viri egregii, qui ad invidiam usque elegantiores litteras coluerunt, similesque discipulos reliquerunt. Durat etiam adhuc apud nos illud studium, & quasvis Europæ regias scholas bonarum litterarum amore provocamus: quod nec ipsa calumnia, quæ omnia nobis detrahit, ausit negare. Nec defuerunt etiam unquam nobis, qui & suo pretio docta carmina haberent, & elegantia & suavitate singulari Græca pariter & Latina componerent. Tantò igitur facilius fuit Glæsero hîc sibi amicos parare. Mox enim amorem meruit celeberrimorum Virorum, CALIXTI, HORNEJI, HAHNII, BRENECCII, aliorumque. Quin etiam non diu post ita emanavit illa promtitudo pangendi carminis, in defuncto nostro eximia planè, ut etiam incomparabilis ille Vir, *Georgius Frantzkius*, Gothanæ aulæ Cancellarius & Sacri Palatii Comes, Insignia Poëtæ Coronati Cæsarei ultrò offerret. Erat enim Vir ille maximus studiorum optimorum sine exemplo promotor, utque hujus studia isthoc honore animaret, lauream obtulit. Nec verò recusavit hanc defunctus, vel sola offerentis motus dignitate. Non incognitum quidem est, quam eviluerit hic honor, postquam Baviis quoque & Mæviis collatus est. Absit tamen, ut optimis quibusque per eos detrahatur quicquam: cum nullorum aliorum studiorum honori satiscautum esset, si per talia carcinomata & vomicas violaretur. Interim contentus

tentus noster fama juvenilibus annis per hæc studia parata, jam sese severioribus dedere cœpit, & nobilium hujus loci JCtorum HAHNII, MEHLBOMII, beate jam tum defunctorum, & adhuc superstitis WERNERI lectiones publicas privatasque audivit, non neglectis exercitiis disputatoriis, quibus excitari ingenia, inquiri veritatem, acquiri promtitudinem non ignorabat. Continuavit hoc modo apud nos sua studia per integros quatuor annos. Et verò cum à bonis litteris tàm præclare instructus esset, cum ex ipsis fontibus rectius hauriri mature didicisset, brevi tempore tantum profecit, tantumque spacium emensus est, quantum optare quidem, sed assequi non videmus, qui citra illas ansas jurisprudentiam attingunt. Abiit dein Altorphium, Tubingamque Clarissimis Viris, LANSIO, LUDWELLO, RITTERSHUSIO, FELWINGERO, DURRIO, locorum istorum ornamentis, gratus acceptusque. Elapso tempore non modico, cum Ratisbonæ Comitia Imperii celebrarentur, commodam sibi natam occasionem putavit, qua & Germanici status notitiam sibi comparare, Amplissimisque Viris ibi præsentibus sese commendare posset. Nec defuit bono consilio eventus. Cum enim aliis, tum maximo quondam his in regionibus studiorum Patrono Cancellario SCHWARTZKOPFIO ingenium suum eruditionemque probavit. Instituit dein multis incommodis, nec sine parvis sumptibus, peregrinationem per Germaniæ partem maximam, solatium laboris exspectans ab insigni fructu, quem majorem sibi ab hac, quam ab aliis quibusque ad exteros & remotos populos institutis promittebat. Basileæ & Spiræ aliquandiu commoratus est, cum inveniret illic præstantissimos JCtos, quorum familiaritate non sine insigni suo fructu usus est. Non deposuit interea Juliæ suæ amorem, ubi didicerat, quæ alibi ornamento fuerant. Repetiit igitur eam ante hos duodecim annos, invenitque adhuc ibi Præceptores suos, quorum consiliis ipse privatim docere juventutem cœpit. Idque ut liceret, omnibusque profectus suos ostenderet, præside celebri JCto JOHANNE EICHELIO summa juris capita examini publico submisit, meruitque tantum juventutis applausum, ut dein illo uti Præceptore tàm in Philosophia Practica, quam Jure certatim ambirent. Non potuit latere Serenissimos Principes, Academiæ suæ commodis continuo invigilantes, hæc industria, quemque meruerat,

rat,

rat, applausus: ideoque biennio elapso Juris Professionem Publicam Extraordinariam, utque Novellas interpretaretur, ipsi demandarunt. Anno sequenti pro obtinendis privilegiis Doctoralibus de præventione Jurisdictionis, Præside Dn. Henrico Hahnio p. m. disputavit, summis mox in utroque Jure honoribus ornatus. Eopse anno, ut res suas magis ordinaret, conjugium iniit cum lectissima tum virgine, nunc mœstissima vidua, ANNA SUSANNA, BALTHASARIS RINCKII celebris JCti & in hac Academia Pandectarum Prof. Publ. filia, post à celebri item JCto & Professore HENRICO BINNIO adoptata. Biennio post ordinarium inter Professores Juris locum ambivit & impetravit, nec diu post socero suo D. Binnio in Professione successit. Ornavit autem Spartam, quam nactus erat, pro virili, & publice & privatim, illoque decennio plus quam ducentis vicibus publicas disputationes præses habuit, discipulorum diligentiam sua animans & accendens. Aliquando quidem remoram injecit morbus & languor, quos præcavere cum in propria non esset potestate, ut resarciret jacturam industria subsequente, quæ in sua manu, semper dedit operam. In docendo alacris erat, idque unice dabat operam, ut quam evidentissime omnia proponeret ante oculos, de obscuris clarè, de perplexis ordinatim dissereret, verbis ubique usus perspicuis, aptis, & quod facile erat tam erudite docto, elegantibus. In responsis dandis & gravissimis rebus decidendis tam providum se & cautum, omnibus circumstantiis accuratè expensis, exhibuit, ut collegis suis planè satisfaceret. Quamdiu etiam ultimis vitæ suæ diebus Magistratum Academicum gessit, nihil in se desiderari passus est eorum, quæ ad Academiæ dignitatem contra quoscunque etiam malevolos tuendam, commodaque amplificanda & conservanda facere viderentur. In reliqua vita omni Deum imprimis coluit, precibus publicis diligenter interfuit, sacra libentissimè domi quoque suæ meditatus. Cumque, ut diximus, eleganter, idque non sine divino beneficio, carmina scriberet, subcisivis quoque horis in pietatis exercitium Musas advocavit, plenosque spiritu hymnos sacros composuit. O dignum vate Christiano institutum!

Diis pietas tua,
Et Musa cordi est.

Officiis

Officiis & beneficentia omnibus occurrebat, in eo sibi quam maxime placens, si erga egenos liberalem se præbere posset. A simulationibus toto pectore tam erat alienus, quam qui alienissimus, antiqua virtute & fide. Luxuriam superbiamque oderat maximè, nec unquam ultra suam sortem se efferebat, non alterius cupidus contentus sua. Cum collegis ita vixit, ut pluribus amicissimus, gratus omnibus, gravis esset nemini. Felix imprimis conjugium fuit. Ab accensa enim nuptiali face usque ad feralem illam nunquam interrupto tenore, perpetua concordia viguit. Quo enim impensius ille suam uxorem amabat, eò magis mutuo amore & sedula cura rei familiaris illius amorem provocabat. Sed solet lætis rebus raro adesse diuturnitas. Vixit tamen cum ea, quod in aliqua adhuc felicitatis parte deputandum est, in decimum usque annum, exque ea suscepit tres filias, adhuc dum omnes superstites, exequias carissimo Parenti ituras. Quam parum verò hoc temporis videtur mœstissimæ viduæ, quæ amoris sui magnitudine numerasse annos vellet. Ideoque immatura vidua vix nunc compos sui est, funusque sibi ipsa facere, seque in optimo marito sepelire, dum spes suas omnes sepelit, videtur. Liberi tenelli infortunii sui magnitudinem non intelligunt, tanto proinde magis omnium misericordiæ obnoxii. Diu quidem illam valetudinis in deterius mutationem senserat beatus vir, non uno incommodo afflictus. Ante biennium tamen ob gravem febrem per quinque hebdomadas lecto affixus nunquam non inde male habuit, nunc de capite, nunc de ventriculo conquestus, imminuto appetitu, aucta infirmitate. Præterea continuus calor & siccitas oris, cardialgiæque & cordis angustia molestabant, succedentibus ex intervallo colicis doloribus, alvique suppressionibus. Adhibita quidem semper sunt debita remedia, quibus malum subinde inducias dedit, ut & officio suo fungi interea potuerit, nuper etiam Magistratus munus mense Julio susceperit. Ultimo tamen tempore gravissima symptomata, & pulmonum debilitas, & tumor corporis, chachexia denique supervenere. Nec jam amplius appetitus ullus aderat, viresque omnes ita collapsæ, ut & præstantissima remedia sine ullo fructu adhiberentur. Unde & ipse vitæ suæ finem imminere sentiens proximo ante obitum die magna devotione sacra synaxi usus, duodecimo Septem-

Septembris inter primam & secundam pomeridianam, præsentibus uxore, socro & amicis placidissima morte obiit, cum vixisset annos quadraginta, & aliquot menses. O mortem suavem! O optandum piis omnibus! Integra mente, integris sensibus, conciliatum Deo exire è mundo, hæc est illa felicitas, qua mortali nulla major contingere potest. Tangunt nos tamen relictarum miseriæ: tangit nos illa primo ætatis suæ flore facta vidua. Tangunt nos tres impuberes puellulæ nondum merita agnoscentes patris, jamque amissum querentes. Socrus nobis ante oculos est, quæ post mariti fata omnem in Genero suo spem ponebat, nimis illo cito orbata. Inexplicabilia fata sunt, miramur tamen meritò, ita turbari mortalitatis ordinem. Senibus juvenes, præceptotibus discipulos ire exequias, naturæ ordo est. At sunt hic inter nos Seniores, sunt quos Præceptores habuit, qui illius immaturum funus comitantur. Luget plurimum Academia & in his exequiis aliorum quoque nuper amissorum Collegarum recordatur, quantamque in omnibus fecerit jacturam, commemorat. Sed illa quidem, ut brevi resarciatur, Serenissimi Principes, quo sunt erga Academiam & studia clementissimo animo, videbunt. Nos, quod hic locus postulat, agimus, vosque omnes, Cives Academici, ut tanto funeri hodierno die exequias eatis, rogamus. Non dubitamus equidem, quin vestris officiis nostram exspectationem superaturi sitis, admonendi tamen fuistis, quibus exemplo etiam præibimus. Certè, cum nos nihil intermittere videbitis, quod facere possit ad ultimum honorem illius, quem Vicarium suum, nostrumque ProRectorem voluit esse Serenissimus Princeps, eum quoque omnem, qui à vobis exspectari poterit, ultro exhibebitis. Hoc æquitas ipsa à vobis postulat, hoc defuncti erga vos merita, quibus, ceu cumulus aliquis, nostra intercessio accedet. V. P. P. in Academia Julia Anno cIↃ IↃc LXIIX.

SCRIPTA.

Elmen Schäfferey: Wolffenbüttel 1650. in 8. oblongâ.

Disp. De jure naturæ: De Mutuo: De via publica: De homicidio: De tutela & cura: De Præventione jurisdictionis: De vocatione in jus sive citatione: De jure statutario: De simulatione: De sortitione: De usucapionibus & præscriptionibus: De homicidio necessario: De judiciis: De Vectigalibus: De judice

dice ejusque officio in genere: De gratia delinquentibus facienda & variis pœnæ remittendæ vel mitigandæ causis: De foro privilegiato: De fama ejusque imminutione: de jure in re &c.

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES JACOBUS
DOBELIUS,
Med. D. P.P. Poliater, & Facultatis
suæ p. t. Decanus,
Solemnes Exequias
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
CONSULTISSIMO
DN. JACOBO SEBASTIANO LAUREMBERGIO,
JCto Excellentissimo, Pandectarum Professori Celeberrimo, & Consistorii, Serenissimorum Ducum, Provincialis Assessori
Gravissimo,
Viduæ Liberorumque Mœstissimorum nomine
parandas, intimat,
& ad illas
Omnium Ordinum Cives Academicos,
eâ qua par est, Auctoritate & Humanitate publice invitat.

Quando secundum statutorum nostrorum normam, ab omni Cive bono jugiter observandam, CIVES ACADEMI-

DEMICI, de Catalogo Lectionum Publicarum nuper formando, cogitarem : Primus erat omnium, cui novissimum hodie honoris pariter ac amoris officium præstamus, qui sequentia mihi commendaret publicanda. D. JACOB SEBASTIAN LAUREMBERG, *si feralem & decretorium morbum, quo ad ipsam diram usque mortem in præsens conflictatur, per robustam & omnipotentem summi DEI manum & opem debellaverit: horâ decima antemeridiana explicabit Titulum DE OBLIGATIONIBVS ET ACTIONIBVS, seu venustissimum Vniversi prope juris, pulcherrimumque compendium.* Verùm enim verò, quam esse modò verum deprehendimus, quod dici in Logicorum Scholis solet *Conditionalis nihil ponit in esse rei.* Non debellavit morbum Collega desideratissimus: Ergò nec Titulum, *DE OBLIGATIONIBVS ET ACTIONIBVS*, explicatum dabit. Cumque totus jam Professioni suæ, immò omnibus mortalium actionibus, renunciaverit: Invitissimis nobis, atque protinus mœstissimis, in ipsius vitæ ACTIONES, inquirendi spartam, ultimum reliquit. Eas itaque ut ab ovo quasi repetamus, Anno O. R. M. DC. XIX die XXIV. Novembris, hora noctis XII, in celebri illo, totius pene Germaniæ, Emporio, quod est *Hamburgum*, auspicatissimum *noster* vitæ exordium duxit: *Patre quidem Nobilissimo, Experientissimo & Excellentissimo DN. PETRO LAVREMBERGIO, Medicinæ D. Eximio, & Celeberrimo, in hac Vniversitate, Poeseos Professore: Matre verò, Nobilissima & Spectatissima Matrona, MARGARETHA CARMONS, vidua etiamnum superstite,* quam optimo hoc, & obsequentissimo filio, inter publicum honorum splendorem, sub extrema, decrepitæ ætatis, tempora acerbissime orbatam, divina bonitas soletur, ac tantæ superandæ cladi, parem reddat. *Avus paternus fuit Nobilissimus, Experientissimus & Excellentissimus GVILHELMVS LAVREMBERG, Med. D. & superiorum, itidem apud nos, Mathematum Professor planè insignis. Avia paterna, Nobilissima, virtutumque, sexus sui, splendore eminentissima IOANNA LONGOLIA, ex Nobili Longoliorum Vltrajectensium stemmate oriunda. Avus maternus fuit spectatissimus atque integerrimus IACOBVS CARMON, Civis & Negotiator, dum ageret apud nos, primarius: ex nobili Carmoniorum, qui sunt in Britannia, prosapia natus. Avia materna, clarissima Matronarum MARGARETHA, ex Nobili Sybethorum Livoniensium stirpe sata.* Hisce tàm Præclaris Parentibus natus sacroque Baptis-

pismatis extemplo fonte renatus, à primis statim incunabilis in id incubuit, quo, non omnem pueritiam ludicris transigi, palam faceret: quin potius magnum se, Parentis magni, æmulum testaretur. Parens ipsius b. m. vix undecim annorum puer, integra Poëmata Græca, ut Argonautica, nunquam antea Latinè facta, convertit, & aliquando quatuordecim distincta genera Græca & Latina, à se composita, magna cum admiratione exhibuit. Noster Hic An. M. DC. XXXI. d. 7. Januar. postquam scil. undecim annos explevisset, splendidissima cinctus & Professorum, & aliorum Virorum Doctissimorum corona, in Auditorio maximo, perelegant Oratione Latina, maximo omnium cum applausu, declaravit, quantos in humaniori literatura, & Oratoria præprimis jam fecisset progressus. Neque tamen in hoc subsistebat ejus. & discendi & dicendi ardor: verùm eò adhuc deveniendum erat, quo absque omni tergiversatione, immò absque omni quoq; titubatione, ad Parentis optimi nutum, de quacunque sibi oblata materia, sermonem cum Doctis conferre posset: quod equidem, quam felix, primo illo ætatis flore, fuerit assecutus, sæpiusculè experti sunt, quibus tunc temporis in puero spectare virum lubido fuit. Hisce fundamentis literariis, tàm solidè, imò tàm singulariter, hic Rostochii jactis, postquam ad superiores Academiarum operas dimittendus esset, deflectere aliquatenus cœpit, consentiente tamen Parente Prudentissimo, à fastigiis paternis, quando Juris, præ Medico, studium arriperet, eidemq; animum totus applicaret. Hujus ergò persequendi gratia, An. M. DC. XXXVII. ætatis suæ 18 in Academiam Gryphicam missus, quam orsus erat, sub pari JCtorum fulgidissimo, DN. PETRO STEPHANI, & DN. DAVIDE MEVIO, Vice Præside hodie in summo, quod est Wismariæ, Tribunali Religio, Magnifico, Fautore nostro pretioso, strenue telam continuavit. Quemadmodum autem omnia mortalium, in hac mortalitate, sunt corruptibilia, fluxa, & caduca; ita quoq; *nostri* stamen studiorum non levem aliquam rupturã pati videbatur, quando, depositis mortalitatis exuviis, beatissimus ejus Parens An. M. DC XXXIX. ad beatorum sedes remigraret, ipseq; Filius in matris, totiusq; familiæ solatium, domum revocaretur. Sed quicquid tamen hic, fortassean, durante luctu, detrimenti pateretur, id omne postmodum in Academia Julia, sub Viris Clarissimis, Dn. D. Hahnen, JCt. Celeberrimo, & Dn. M. SCHNEIDER,

Eloquentiæ tunc temporis Professore æstimatissimo, ita resarcivit, ut virtus ejus apud exteros quoque indies inclaresceret, atque Anno M. DC. XLII. à plur. Rev. DN. M. SIMON HENNINGS, Hafniam Danorum vocatus, Informationi præficeretur DN. JOHANNIS ULRICI, qui hodie S. S. Theol. Doctor, ejusdemque in Academia novella, quæ est in Scania, Professor celeberrimus audit. Hac sparta quam egregiè per annum functus, ob asperiorem aëris, corporis autem proprii teneriorem constitutionem, mutare locum coactus fuit. Reversus tandem ad nos, singulari amplissimæ Facult. Juridicæ indultu, quæ claris adeo hactenus Ductoribus didicerat, ipse non absque singulari Auditorum desiderio, docere privatim Jura cœpit, donec tandem Anno M. DC. XLVI die XIV. Martii, Facultatis dictæ Decano, *Viro Nobilissimo & Consultissimo DN. NICOLAO* Schützen/ J. U. D. *& Codicis Prof. Publ.* nomen suum profiteretur, promerita virtutis atque eruditionis præmia acquisiturus. Cumque in Examine privato, quod rigorosum vocitamus, supra exspectationem omnium sese exhibuisset, omnium quoque suffragio id facilè obtinuit, ut ad Disputationem Inauguralem pro Licentia summos in J. U. honores ac privilegia obtinendi, admitteretur. In qua, cum talem denuo se gereret, qualem facile unusquisque suspicari poterat: factum est, ut non diu post, à *Serenissimo & Celsissimo Megapolensium Duce, Gloriosissimæ memoriæ, DN. ADOLPHO FRIDERICO*, ad Historiarum Professionem Clementissime vocaretur. Suscepit eam in se modestissime: sed hac tamen lege, uti splendidam illam Martis Musarumque sedem, *Belgium* puto, confirmandæ Prudentiæ causa, lustrare ante sibi liceret. Gratia fuit Gratiæ supperaddita: secundisque velis appulit Lugdunum Batavorum, ubi statim Nobiles aliquot Juvenes manuductioni ipsius se submisere, quorum fidus etiam per præcipuas Belgii, & Germaniæ posteà superioris Civitates & Academias Achates fuit. Postquam itaque curioso simul oculo atque animo, quæ è re sua esse videbantur, notasset: salvus tandem, & incolumis A. M. DC. L. denuo ad nos reversus, *Decano Fac. suæ Viro Nobilissimo & Consultissimo DN HINRICO SCHUCKMANNO* J. U. D. *& Codicis Professore*, non summos tantum, quos ante ambiverat, in Jure honores consecutus, sed ipsam quoque demandatam sibi Historiarum Professionem est aggressus.

Hunc laboris & Studiorum fructum mox alius subsequebatur : quando, pronubo DEO, felicissimo thalamo potitus, A. M. DC. LII. *lectissimam ac pudicissimam Virginem, ELISABETHAM, Viri Amplissimi DN. SIMONIS SPENGMANNI, Senatoris quondam, apud Stralsundenses, spectatissimi*, Filiam, luctisonam hodie Viduam, solemnibus sibi nuptiis sociaret. Cum hac tranquillissimum & optatissimum, annorum sedecim, exigens Conjugium, Filios quatuor, Filias tres, ex eadem suscepit, è quibus Filii duo, *SIMON PETRUS, & IACOB SEBASTIAN*, Filiæ itidem duæ, *ANNA MARGARETHA, & IOHANNA ELISABETH*, superstites testandi debiti officii causa, cum Matre lugentissima funus ducunt : reliqui tres uti *IACOB SEBASTIAN, WILHELMUS HINRICUS, & SOPHIA MARIA*, in prima ætatis teneritudine, fatis jam cesserunt. Postquam autem egregius virtutis doctrinæque ejus odor longius latiusque spargeretur constitutus est Anno M. DC. LIX. *à Serenissimo & Illustrissimo Domino*, DN. CHRISTIANO LUDOVICO, *Duce, & Academiæ hujus Cancellario Magnificentissimo, Domino nostro Clementissimo*, Professor Pandectarum, & Consistorii Ducalis Assessor : quo quidem munere laudatissime est defunctus, donec, ante semestre forte spatium, ex latente jam, per aliquot annos, Scorbuto, Cachexia laborare videretur : cui tamen depellendæ, adhibita variorum opera eo usque profuit, ut restitutus aliquantisper in publicum etiam prodiret. Verùm mox gravius quoddam malum, ex insidiis quasi ingruens, totius corporis colliquationem, sicque veram, cum omnibus symptomatis, tabem introduxit, quæ tam feralem virium jacturam intulit, ut spes evadendi omnis decollaret, unde Divinæ *noster* se committens voluntati, inter pias preces, & sacra colloquia, cœlesti primum epulo pastus, die XXIX. Decembris, præteriti M. DC. LXIIX. anni, circa noctis primam, placidissime in Domino obdormivit: postquam XLIX annos, IV. hebdomadas, & dies IV. absolvisset. Quiesce ergò jam, Collega optime, ac vera tandem cœli tranquillitate æternùm fruere! Experiris nunc revera, quæ post fluxam omnis mundi vanitatem, DEI ipsius manu parata ac recondita, eos, *qui rectè factis actionibusque virtuosis* vitam ornaverunt, maneant. His ergo felix citra fastidia, satiare, dum corpus cineribus suis excitum, ejusdem dignitatis fiat consors.

Qua ſpe, dum hodie, hora prima tumulabitur, ut frequentes, noviſſimum deductionis honorem, Collegæ & Amico noſtro Honorando, *Cives Academici* exhibeant, monemus: juxta afflictiſſimam Matrem, mœſtiſſima Vidua, & relicti orphani officiosè rogant.

Publicatum ſub Sigillo Rectoris d. 8. Januar. ANNO M. DC. LXIX.

Conventus fiet I. in æde Iacobeâ.

SCRIPTA.

Orbis Bacchans, ſive oratio, in qua ſeculi noſtri mores repræſentantur, pronunciata ipſis Saturnalibus in Auditorio magno: *Roſtoch.* 1652. in 4.

Panegyricus in funere Dn. Adolph. Friderici, Ducis Mecklenburgici: *ibid.* 1659. in fol.

Themis temerata, cujus pudicitiæ vim, vitiumque additum: *ibid.* 1660. in 4.

Diſſertatio de gravi & arduo Principum Magiſtratumve Regnandi munere: *ibid.* 1668. in fol.

Diſput. & gradu Doctorali de Titulis &c.



LUCTU-

LUCTUOSISSIMIS EXEQVIIS
Quas
VIRO INCOMPARABILI
Generoso & Magnifico
DN. DAVIDI MEVIO,
JCto, S.R. Mtis. Sueciæ Consiliario intimo, Summique Tribunalis Wismariensis Vice-Præsidi eminentissimo, Hereditario in Brönnechow/ Baggendorff & Zarrentin/ Academiæ Gryphicæ Antecessori & Seniori Præclarissimo,
MARITO DESIDERATISS.
PARENTI OPT. MERITO.
CONJUX ET LIBERI
MOESTISS.
WISMARIÆ XX. Septembr. parabunt
&
PROSPERÆ TANTI VIRI MEMORIÆ
SENATUS CONCILII ACADEMICI GRATITUDINIS ET OBSERVANTIÆ MONUMENTUM ERECTURUS ORATIONES PANEGYRICAS DECREVIT.
Ad quarum ascultationem
Utriusque Reipublicæ & Reverendi Ministerii Patres, Omnium ordinum Academicos, Bonosque adeò omnes officiosè & peramanter invitat.
RECTOR ACAD. GRYPHISW.
CHRISTOPHORUS HELWIGIUS,
Doctor & Professſ. Medicus, Civitatis Physicus.

Q. D. B. V.

PRudentissimos quosvis Legum Conditores & Juris Interpretes, è Zenonis & Chrysippi potissimum Schola prodiisse & cum illis bene vivere, quam cum aliis argute disputare maluisse, constans est Eruditorum opinio. Cum enim omnia vitæ felicitate metirentur, resque ab usu potius quam à jucundo aut admirando describerent, quibus post publicam privata salus lex erat suprema, non tam numeros & motus tractabant, siderumve cursus, intervalla ac magnitudines observabant, quam devocatam è cœlo Philosophiam in urbes & domos introducebant, & vitam potius & mores, licitumque & illicitum, quam ortum & interitum rerum inquirebant. Quæ quidem æqui & iniqui investigatio quamvis olim cum Socrate nata cum Platone Cynicisque adoleverit, in Stoicis tamen virilis ætatis demum consequuta est maturitatem. Nulla quippe ex innumera fere priscarum sectarum multitudine masculum animis robur induere, dignosque Sapiente Spiritus afflare potuit præter illam, quæ prodiit è Stoa. Hæc adversa fortiter, prospera moderate ferre, & nihil admirari, nihil temnere, sed similem utrique fortunæ obvertere vultum docuit. Quod si per præcipua Doctrinæ hujus capita ire libet, quam vicina fidei nostræ Christianæ, quamque digna homine sapiente fuerit, apparebit. Summum hominis bonum in ὁμολογίᾳ, quam convenientiam appellat Tullius, reposuit Zeno, cum felicem dixit, qui convenienter vivit. Cum autem exemplum, ad quod vitam exigeret, non nisi à summa DEI convenientia & perfectione peti posset, rectè Præceptoris sui sententiam auxit & convenienter Naturæ vivere felicitatem esse Cleanthes pronunciavit. Si enim, teste Seneca, nihil aliud est natura quam Deus & divina Ratio toti mundo & partibus ejus inserta, quid quæso aliud intellexerunt, quam DEO parere & juxta ipsius voluntatem vivere summam felicitatis esse. Ex hoc Epictetus apud Arrianum laudat illud Zenonis, τέλος ἐστὶν ἀνθρώπου τὸ ἕπεσθαι Θεῷ: Finis hominis est sequi Deum, & in Enchiridio cujusvis vitam formari vult, εἰς τὸ πείθεσθαι Θεῷ, καὶ εἴκειν πᾶσι τοῖς γινομένοις, καὶ ἀκολουθεῖν ἑκόντα ὡς ὑπὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιτελουμένοις, ita ut DEO pareamus & acquiescamus omnibus, quæ eveniunt, eaque tanquam ab optima mente profecta volentes sequamur. In

hunc

hunc ſenſum Seneca, Sapiens, inquit, quicquid evenerit, ſciet legem eſſe naturæ, habebitque in animo illud vetus præceptum, Deum ſequi. Quid potuit ſanctius ab homine Chriſtiano dici? Sapientem pediſſequum & imitatorem DEI facere: anne legibus noſtris eſt conveniens, quæ noſtri nos Ducis ac Servatoris Jeſu Chriſti fideles & pediſſequos & imitatores eſſe volunt. Erant quidem ex ipſis Stoicis Chryſippi diſcipuli, qui ſecundum naturam ſe vivere putabant, cum recta ratione uterentur: verum non pugnant, niſi in ſpeciem recta ratione uti & Deum ſequi, Neque enim Deum ſine ratione ſequi, neque ſine Deo recta ratione licet uti. Vir bonus, inquit Seneca, ſine Deo nemo eſt; Ille dat conſilia recta & magnifica. Quicquid facimus boni, qui Chriſtiano nomine gloriamur, Deo unicè ferimus acceptum, ſine quo nihil ſumus. Quod ſi latinè loqui voluiſſet D. Paulus, cum noſtram nobis ob oculos poſuit infirmitatem, qui ſine Divina ope per nos ipſos nè quidem bene cogitamus, DEI autem clementia ac miſericordia templa & domicilia Spiritus Sancti ſumus, non puto rectius, quam cum Seneca dixiſſet, Animum rectum bonum magnum DEUM in humano corpore hoſpitantem eſſe. Quid homine Chriſtiano dignius, quam hymnos, quos à Sapiente ſuo exigit Epictetus apud Arrianum, Deo canere, eique pro collatis beneficiis gratias agere? ἐκ ἔδει καὶ σκάπτοντας καὶ ἀρῦντας καὶ ἐσθίοντας ἄδειν τὸν ὕμνον τὸν εἰς τὸν Θεόν. Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα, δι' ὧν τὴν γῆν ἐργασόμεθα. Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατάποσιν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας αναπνεῖν. Ταῦτα ἐφ' ἑκάςȣ ἐφυμνεῖν δεῖ, καὶ τὸν μέγιςον καὶ θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν, ὅτι τὴν δύναμιν ἔδωκε, τὴν παρακολȣθητικὴν τȣ́των καὶ ὁδῷ χρηςικήν. Nonne & fodientes decet & arantes & comedentes canere hymnum DEO. Magnus Deus, qui nobis inſtrumenta hæc, quibus terram coleremus, exhibuit: magnus, qui nobis manus, qui deglutionem, qui ventrem, qui incrementa corporis occulta, qui ſub ſomno reſpirationem dedit. Pro his univerſis laudare Deum decet, & maximum diviniſſimumque hymnum accinere, quod dederit nobis facultatem aſſequentem hæc omnia, ac certa via rationeque iis utentem. Tam pia de DEO & debita DEO obedientia opinio mores peperit incupatos, fecitque Stoicos præ cæteris vitæ integros, ſcelerum puros, vitiorumque inimicos capitales. Vitia tua,

oro te, mi Lucille, inquit Seneca, persequere sine fine, nam illis quoque neque modus est, neque finis. Quæ si abstrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum esset. Quis non animadvertit hic illud Christi præceptum; Si vel oculus vel pes tibi tuus sit scandalo, præstat ipsum à te, quam te à DEO avelli. Summa religionis nostræ in eo est, ut DEO serviamus & proximo studeamus, quod Stoicos maxime conatos fuisse accepimus. Nulla secta, inquit Seneca, benignior leniorque est, nulla amantior hominum & communibus bonis attentior, ut propositum sit ei usui esse & auxilio. Nulla igitur dignior fuit, quam amplecteretur Juris prudentes, & præcipue quos penes arbitrium æqui bonique stabat, quam Sapientum illa suavis nutricula, porticusque severioris filia. Solus apud Stoicos sapiens liber, solus dives est, & αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, seipsa contenta est virtus ad beate vivendum. Sapiens Christianorum pietas tanti æstimatur, ut illam possidentes soli sint divites. Soli enim, quod de Stoicis dixit Tullius, possident res & fructuosas & sempiternas, solique, quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Sapiens ἀπαθὴς & imperturbabilis est: neque gaudio exultat, neque luctu deprimitur, sed morum sanctimoniam, prudentiamque innocentem cuivis fortunæ opponit. Apud Stoicos is demum.

Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris,
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.

Toto vagaberis orbe nec alibi Regem illum quam inter Christianos invenies, qui extra omnem metum dirique pectoris cruciatus in tutela Angelorum latitant,

Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subjiciunt pedibus. strepitumque Acherontis avari,

& inania illa opum, honorum, gloriæ nomina, quibus decipiuntur animi vulgares, infra se vident, nihil desiderant magis, nihil lætius subeunt, quam fatalem illam horam, quæ vitæ hujus turbis animum tranquillitatis avidum eximit & sede quietis æternæ locat. Uti apud Stoicos

- - Sapiens uno minor est Jove, Dives
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,

ita solis Christianis cum Div. Paulo exclamare licet: Sumus quasi morientes & ecce! vivimus, quasi tristes, sed semper gau-

gaudentes, ſicut egentes, ſed multos locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Regia Majeſtas Chriſti diſcipulis ab Apoſtolo tribuitur, cum omnia ipſis vindicat, 1. Cor. 3, v. 22. immo Reges nos fieri in Apocalypſi diſerte D. Johannes ſcribit. Quorſum autem pluribus notiſſimam Stoicorum ſapientiam cum Chriſtianæ religionis doctrina compono, ſi nemo ignorat, ab Hebræis ad Græcos & ab illis ad Romanos veram ſapientiam eſſe profectam. Quorſum de priſcorum JCtorum in hanc hæreſin affectu loquor? Si in JCtorum noſtri ſeculi facile Principe Magno noſtro MEVIO, quicquid in Stoica ſapientia, Chriſtiana pietate & priſcorum JCtorum ingeniis miramur, tanquam in promptuario quodam concluſum & à DEO in publicos uſus reconditum fuiſſe novimus omnes. Nihil ille magis in votis habuit, dum rebus mortalium interfuit, quam ut convenienter Naturæ ejusque Autori Deo, convenienter ſanæ Rationi & natis ex ea legibus viveret, convenienter etiam, cum olim avocaturus eſſet Deus, moreretur, vivens ſcil. & moriens ſemper Deum ſequuturus. Prolixius igitur nonnihil vitam & obitum ipſius cum enarravero. Viri ſapientis, Stoici Chriſtiani, piique JCti idæam vivis me coloribus depicturum eſſe confido. Natus eſt in ipſa ſapientiæ ſede Pomeranicæ Gryphis Athenis Anno hujus ſeculi nono, menſe Decembri. Patrem habuit à Juris peritia & conſiliorum gravitate commendatiſſimum Virum, Nobiliſſimum, Ampliſſ. & Excellentiſſ. Dn. FRIDERICUM MEVIUM, JCtum, Academiæ hujus Anteceſſorum celeberrimum & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſorem optimè meritum; Matrem Matronam pietate & virtute conſpicuam Dn. ELISABETHAM Rhauen. Per Patrem habuit Avum Virum Nobiliſſimum & Ampliſſ. Dn. THOMAM MEVIUM, J.U.D. & in hac Academia Anteceſſorem longè celeberrimum, & Aviam Fœminam Lectiſſimam DN ANNAM Falcken. Per Matrem numerat inter majores Avum Virum plurimum Reverendum & Excellentiſſimum DN. BALTHASAREM Rhawen/ SS. Theol. Doct. & in hac Academia Profeſſorem Clariſſimum, & quatuor Illuſtriſſimorum Pomeraniæ Principum Ephorum prudentiſſimum, Aviamque Fœminam caſtiſſimam ANNAM Schuffen. Proavus Paternus unus, Ampliſſimus Dn. JOACHIMUS MEVIUS, Stargardiæ ad Inam Conſul: Alter verò Nobiliſſimus & Conſultiſſ. DN. JOHANNES Falcke/

Celsissimorum Pomeraniæ Ducum Cancellarius. Proavia Paterna una DN. GERTRUDIS Appelmans; Altera DN. SYBILLA Brückmannin. Proavus maternus unus DN. JACOBUS Ryaw/ Consul Neostadiensis in Silesia: Alter DN. AUGUSTINUS Schurff/ Medicinæ Doct. Serenissimi Electoris Saxoniæ Archiater & Professor Wittebergensis. Proavia materna una DN. ANNA Prüben; Altera DN. ANNA Krappen/ D. HIERONYMI Krappen/ Senatoris Wittebergensis, filia. Hisce Proavis splendidoque hoc genere gloriari noster potuisset, nisi pulchrius esset, sua potius virtute, quam fumosis Majorum ceris censeri. Interea, cum sit in natis Patrum virtus, fieri non poterat, quin a Themidis & pietatis Antistitibus genitus, utriusque studium toto vitæ suæ cursu sectaretur: Vix exclusus in auras & adhuc à Matre rubens Deum sequi didicit, eique in sacrosancto regenerationis lavacro per sponsores suos obedientiam promisit, cumque nomine DAVIDIS Regiæ pietati & sapientiæ initiatus, magnarum virtutum semina concepit. Nihil piis Parentibus antiquius fuit, quam ut illa omnis boni capaci ingenio, tanquam læto cuidam fœcundoque insererent agro. Si quæ, ut in pinguiori solo fieri amat, luxuriabant ignaviæ lappæ & morositatis tribuli, aliave hujus generis & ætatis vitia, toti in eo erant, ut quantocyùs eradicarent, ne succrescenti quotidiè sapientiæ & virtuti subtraherent succum & olim essent obstaculo. Audivimus ex ipso beatè defuncto, inde à teneris unguiculis non benè sibi & otio convenisse, sed, nihil agendo malè agere disceret, semper sibi aliquid agendum fuisse. Scilicet id est, quod ad illud sapientiæ & honorum fastigium, è quo oculis ipsum nostris surreptum esse dolemus, evexit, quod inde à primis crepundiis studiis sapientiæ invigilavit, & sub optimis Præceptoribus pueritiam transegit, vitæque totius sapiens rudimentum posuit. Intelligebat, prudentissimus Pater educatione puerorum mores componi, facileque teneros adhuc animos formari, nec parum ad vitæ felicitatem & pietatis amorem conferre, si virtutum fundamenta ab ineunte ætate jaciantur. Corrupta enim educatio, malorumque Præceptorum societas fomes est vitiorum, quæ ubi semel inscii combibimus, quasi morbi quidam nobis congeniti adolescunt & radices altius demittunt, quam ut leviter eruantur. Adeò studiose cavendum, ne in summum jacturæ discrimen, quæ nobis sunt charissima,

ſima, adducamus, præſertim cum longe gravius periculum ſit in diſciplinis quam cibis emendis, nec tam utilis regio & clementius cœlum valetudini proſit, quam animis parum firmis in turba meliorum verſari. Ita igitur Noſter Parentum cura formatus & ita melioribus ſemper præceptis imbutus, meliorumque ſocius fuit, ut per anfractuoſa ſapientiæ legumque præcipitia ſalebroſum iter feliciter emenſus, anno hujus ſeculi XXXIV. ætatis ſuæ XXV. magno ſuo merito Doctorali Laurea coronatus & in numerum Profeſſorum Juris Extraordinariorum ſit receptus. Vix elapſus erat annus, cum neſcia delitеſcere Virtus Ordinariis ipſum intulit, & inter Academiæ Patres dignum præcoci ſapientia locum conceſſit. Citius ignem cinere, quam Virtutem fortuna tegi & obnubilari ſuo ſuo docuit exemplo, cum anno M. DC. XXXVIII. à vicinis Stralesundenſibus Syndici munus ipſi offerretur, & in Senatu quod populi Caput eſt, oris vice fungeretur. Hîc demum ſe pandebat gloriæ publicæque utilitatis, cui ſuo quodam fato erat deſtinatus, ſpatioſus campus. Domi foriſque ea dexteritate negotia geſſit, ut prudentiam, fidem, conſilium, animi magnitudinem, & incredibilem induſtriam Civibus ſuis Sacræque Regiæ Majeſtati Sueciæ, quam publicus Civitatis Orator adiit, dicendi illam vim, qua pollebat, ſuaviſſimam vaſtamque eruditionem omnibus ſatis ſuperque probarit. Quodnam illuſtrius Regiæ erga ipſum clementiæ argumentum afferemus, quam quod Anno M. DC. LIV. Summi eum Tribunalis, quod Wismariæ leges & jura Germanicis Sueciæ provinciis diſpenſat, VICE PRÆSIDEM eminentiſſimum conſtituerit. Scilicet cum collocari in Tribunali Juſtitiæ imago deberet, quam Chryſippus apud Gellium forma atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate depingit, non poterat illa aptius, quam in JCtorum Anteſignano MEVIO NOSTRO adumbrari. Talis enim is Juſtitiæ Antiſtes erat, qualem ſub imagine illa intelligi voluit Chryſippus, gravis, ſanctus, ſeverus, incorruptus, inadulabilis, contraque improbos nocentesque immiſericors & inexorabilis, erectusque & arduus ac potens, vi & Majeſtate æquitatis veritatisque terrificus. Excepit tantum hoſpitem debito honore inclyta Wismarienſis Civitas, quem nunc ereptum vehementer dolet, & hoc etiam nomine acer-

acerbius luget, quod debitum Sacræ Regiæ Majestati homagium ipsi Regias vices sustinenti olim præstiterit. Anno M. DC. LVII. à S. R. Majestate, Domino nostro clementissimo, ad retundendos Danorum in Ducatum Bremensem impetus & prohibendam inimicam ejus invasionem missus est ad Serenissimos Circuli Saxonici Inferioris Principes, Postulatum Administratorem Magdeburgensem Principem Saxoniæ Hallensem, Duces Brunsvicenses Wolferbytanum, Cellensem & Hanoveranum, & Casselanum Hassiæ Landgravium, cæteroque Danici belli tempore ab æternæ memoriæ gloriæque Principe ac Heroe invictissimo, REGE & DOMINO NOSTRO AUGUSTISSIMO CAROLO GUSTAVO sæpe ad consilia, quæ in DEI honorem, Principis gloriam, Patriæ commodum Sueticique Regni incrementum semper profutura suggessit, evocabatur. Anno M. DC. LXII. ad ipsum Romanorum Imperatorem semper AUGUSTUM, LEOPOLDUM PIUM, FELICEM, præstandi homagii causa ablegatus ita se gessit, ut fidei, temperantiæ, prudentiæ, animique fortis & excelsi in oculis totius Germaniæ pulcherrima documenta dederit, Principisque, à quo missus erat, Majestatem gravitate sua & recondita sapientia expresserit. Cum Anno M DC LXIII. in hac nostra Pomerania Ecclesiasticus Politicusq; Status reformandus esset, Celsissimus Comes & Heros DN. CAROLUS GUSTAVUS WRANGEL, Suecici Regni Archistrategus, Patriæ nostro Pro-Princeps & Academiæ hujus Cancellarius Magnificentissimus, Dominus noster gratiosus, & Illustrissimus Heros DN. PAULUS WURTZIUS, S. R. Mtis Generalis & Pomeraniæ Vice Gubernator, beatusque noster MEVIUS jussu Sacræ Regiæ Majestatis collapsa repararunt, temporumque injuriis violata restaurarunt & homagium à tota hac Provincia incolisque ejus omnibus susceperunt. Anno M DC LXVII. Heilbrunnæ gravia, quæ inter Electores Moguntinum & Heidelbergensem erant dissidia, jamque in apertum erumpebant bellum, Regia Autoritate feliciter composuit. Tantis laboribus periculisque opimam retulit laudis gloriæque mercedem, prosperamque sui apud seram posteritatem promeruit memoriam: Audivit quidem sæpius in publicis Legationibus insusurrantes: Hic est ille MEVIUS, nec tamen cum Demosthene susurris talibus dele-

delectatus, sed aurium inflationem cum Tragico reputans modesti animi limites nunquam transilivit. Hæc sunt illa Virtutum, sapientiæ & pietatis Beati nostri MEVII exempla, quæ in publico Germaniæ Sueciæque theatro edidit, nam quæ in vita privata domesticis quotidiè exhibuit, superant numerum & hujus paginæ spatium. Tres habuit Uxores, & cum omnibus placidè jucundeque vixit. Prior fuit fœmina lectissima JUDITHA Tancken/ Dn. Licentiati Tancken/ Pastoris apud Stralesundenses ad D. Mariæ meritissimi filia, quæ trium ipsum liberorum fecit Parentem. Natu major filius, quam vix ingressus erat, reliquit vitam: Duæ autem filiæ adhuc superstites excessum optimi Patris piis lachrymis prosequuntur. Altera & natu major ELISABETHA elocata est Viro Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo DN. GEORGIO ENGELBERTO, JCto & in hac olim Academia Antecessori dignissimo, nunc Regii Tribunalis Assessori longe meritissimo: Altera autem natuque minor BARBARA nupsit Viro Nobiliss. Ampliss. & Excellentissimo DN. FRIDERICO KLINCOVIO, Regii pariter Tribunalis Assessori gravissimo. Ex altera Conjuge, fœmina longe suavissima DN. MARIA Meyers/ Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi DN. THEODORI MEJERI, Consulis Stralsundensis & Consiliarii Provincialis filia, unicum suscepit filium FRIDERICUM, qui in Academia Tubingensi Patris & Majorum vestigiis insistens Jurisprudentiæ studium operamque gnaviter locat. Tertio loco vitæ sibi sociam elegit Matronam sexus sui virtutibus egregie ornatum DN. MARIAM Putschen/ DN. Licent. PUTSCHII, Celsiss. Comitis Oldenburgensis Consiliarii gravissimi filiam, quæ insperatum Tanti Mariti obitum, ut decet piam Conjugem, deflet, & debita exuviis ipsius justa persolvit: Septem ex ea liberos suscepit, duas filias & quinque filios, omnes, uno excepto, adhuc superstites & Patrem Maximum immature amissum frustra inclamantes, Tot liberorum Patri mirum est tantam etiam librorum fuisse curam, ut non tantum sedula manu ab aliis scriptos evolveret, sed ipse quoque stupenda industria, inter tot negotia, tot litium tricas, fœcundo ingenio novos pareret & publicæ luci omniumque censuræ exponeret. Extant ipsius Commentarii in Jus Lubecense, cujus

postre-

& Syrupo acet. Citri paravi, cujus ſubinde particulam ſumſit. Faucium impuritas cum non admitteret Tonſoris penicillum, injecta per ſiphonem oris collutione depurata. Veſperi ob alvum pigriorem Clyſter. Is copioſam pituitam & aduſtos humores magno cum levamine vacuavit. Octavo, Nox quieta. Laſſitudo ſola moleſta. Hora V. pomeridiana Potiuncula ſudorifera. Hora noctis duodecima cum ſe frigido expoſuiſſet: Anxietas & difficilis reſpiratio. Ab Epithemate tamen calide præcordiis impoſito rediit exoptata quies & omnia pacata. Nono, Urina eadem. Pulſus bonus. Calor acris. Lingua pura. Hora VI. matutina injectus Clyſter vacuavit feces aduſtas. Decimo, Nox quieta. Calor tepidus Urina *νεφέλιον* ſuſpenſum oſtentans. Pulſus ſano ſimilis. Spontanea *ἐφίδρωσις* rorulentaque ſubſudatio naturæ moventis nihilque promoventis languorem prodens. Hac etiam die Tremor Manuum, Pavor in ſomno peſſimo omine ſupervenerunt. Extractum Pœoniæ cum Alexipharmacis Cereviſiæ ordinariæ tenuiori inditum. Undecimo, Urina turbata quidem, ſed turbida, nec poſt depoſitum craſſum carneum & inæquale ſedimentum ſuperinclaruit. Pulſus bonus. Bibit Julebum. Duodecimo, Urina clara rubra. Pulſus parvus debilis. Injectus Clyſter largiter & cum *εὐφορίᾳ* vacuavit. Veſperi hauſtulus hidroticus. Decimo tertio, Nox quieta. Somnia non temeraria, ſed, uti jocabatur, gravitate ſua commendata. Urina admodum rubra ſplendens cum enæoremate nebuloſo. Pulſus parvus, humilis, tardus. Cutis manus frigido madore perfuſa Pavor in ſomno. Tremor & ſubſultus muſculorum. A meridie Extrema frigida. Pulſus obſcurus. Aurium ſuſurri. Decimo quarto, Urina pauca rubra cum ſuſpenſo nubis portento. Pulſus nullus. Extrema frigida. Tremor & Concuſſio Artuum. Pœonia, Cinamomum, Scordium & Cervi Cornu oppoſita, ſed omnino fruſtra, nam hora noctis media undecima ſine omni cruciatu, & ſi ita cum Martiale licet loqui, ſine omni morte moriebatur. Dici non poteſt, quam patienter, quidquid eveniebat, tulerit, quamque parvi vitam hanc æſtimarit. Cum aliquando præter mentem excideret mihi, quod pro ſiniſtri eventus omine interpretabatur, Noli, inquit, credere, quod mortem expaveſcam, nam ita vixi, ut mori me minime querar. Ita igitur eſt, Cives, acta ætas honeſtè ac ſplendidè tantam affert conſolationem, ut eos,

qui

qui ita vixerint, judice Tullio, aut non attingat ægritudo aut perleviter pungat Animi Dolor. Quod si Xenophontis instar, qui ἀξιομνημόνευτα Socratis in literas retulit, illa saltem quis conscriberet apophthegmata, quæ sub brevi morbi decursu ex eo audivimus adstantes, parum aberit, quin justus inde nascatur liber. Sapienter & piè MAGNUS noster MEVIUS, donec licuit, vitam instituit, sapienter etiam DEO sic jubente reliquit. Nostrum jam est, ut beato Viro de vera felicitate, cujus desiderio in hoc mundo quam potuit optimè vitam transegit, & cujus nunc demum fruitur voluptate, prolixè gratulemur, nec unquam Virtutum & Sapientiæ MEVIANÆ exuamus memoriam. Cumque accepto à Majoribus more solenni Panegyri Vir Nobilissimus, Amplissimus, Excellentissimus, Clarissimusque DN. D. JOHANNES POMERESCHIUS, JCtus & Antecessor, Regiique Consistorii Director meritissimus, soluta, & DN. M. JOHAN. ERNESTUS PFUELIUS, Humaniorum Professor Publicus, ligata Oratione Antecessoris & Senioris nostri, Viri de Academia & Patria hac universa optimè meriti, eximias Virtutes puriori, quo pollent, eloquio sint deprædicaturi, hic quidem ea ipsa die, qua Wismariæ corpus defuncti humabitur, iste verò octiduo post, uterque hor. 3. postmeridiana: Vestrum erit, CIVES, si sapientiæ, si justitiæ, si pietatis denique vos tangit Amor, ut frequentes concurratis & tanti Viri vitam prolixius intelligatis. Quotquot autem alias in hac Urbe sive justitiæ, sive pietatis studiis præsunt, bonisve literis partæque honestis artibus gloriæ favent, solenni huic actui interesse minime pigrabuntur.

DEUS autem O. M reddat AUGUSTISSIMO REGI NOSTRO FIDELEM MINISTRUM, Summo ejus Tribunali æque justum Vice-Præsidem, huic nostræ Patriæ æque honoratum Civem, & afflictissimæ Academiæ æque faventem Patronum! Tu autem Sapientissima Anima, Have! & quod tantis desideriis semper flagitasti inter brachia Redemptoris tui æternum gaude!

P. P. Gryphuvvaldiæ XVII. Septembr. clɔ Iɔc LXX.

Magnifico & Incomparabili huic Viro, DAVIDI MEVIO, concionem lugubrem, magna utique hominum frequentia, Wismariæ habuit M. *Samuel Reimarus*, ad D. Georgii ibidem Pastor, Regiique Consistorii Assessor, ex *Matth.* XXV, 21.

Q. D. B. V.

PRudentiſſimos quosvis Legum Conditores & Juris Interpretes, è Zenonis & Chryſippi potiſſimum Schola prodiiſſe & cum illis bene vivere, quam cum aliis argute diſputare maluiſſe, conſtans eſt Eruditorum opinio. Cum enim omnia vitæ felicitate metirentur, resque ab uſu potius quam à jucundo aut admirando deſcriberent, quibus poſt publicam privata ſalus lex erat ſuprema, non tam numeros & motus tractabant, ſiderumve curſus, intervalla ac magnitudines obſervabant, quam devocatam è cœlo Philoſophiam in urbes & domos introducebant, & vitam potius & mores, licitumque & illicitum, quam ortum & interitum rerum inquirebant. Quæ quidem æqui & iniqui inveſtigatio quamvis olim cum Socrate nata cum Platone Cynicisque adoleverit, in Stoicis tamen virilis ætatis demum conſequuta eſt maturitatem. Nulla quippe ex innumera fere priſcarum ſectarum multitudine maſculum animis robur induere, dignosque Sapiente Spiritus afflare potuit præter illam, quæ prodiit è Stoa. Hæc adverſa fortiter, proſpera moderate ferre, & nihil admirari, nihil temnere, ſed ſimilem utrique fortunæ obvertere vultum docuit. Quod ſi per præcipua Doctrinæ hujus capita ire libet, quam vicina fidei noſtræ Chriſtianæ, quamque digna homine ſapiente fuerit, apparebit. Summum hominis bonum in ὁμολογίᾳ, quam convenientiam appellat Tullius, repoſuit Zeno, cum felicem dixit, qui convenienter vivit. Cum autem exemplum, ad quod vitam exigeret, non niſi à ſumma DEI convenientia & perfectione peti poſſet, recte Præceptoris ſui ſententiam auxit & convenienter Naturæ vivere felicitatem eſſe Cleanthes pronunciavit. Si enim, teſte Seneca, nihil aliud eſt natura quam Deus & divina Ratio toti mundo & partibus ejus inſerta, quid quæſo aliud intellexerunt, quam DEO parere & juxta ipſius voluntatem vivere ſummam felicitatis eſſe. Ex hoc Epictetus apud Arrianum laudat illud Zenonis, τέλος ἐστὶν ἀνθρώπου τὸ ἕπεσθαι Θεῷ: Finis hominis eſt ſequi Deum, & in Enchiridio cujusvis vitam formari vult, εἰς τὸ πείθεσθαι Θεῷ, καὶ εἴκειν πᾶσι τοῖς γινομένοις, καὶ ἀκολουθεῖν ἑκόντα ὡς ὑπὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιτελουμένοις, ita ut DEO pareamus & acquieſcamus omnibus, quæ eveniunt, eaque tanquam ab optima mente profecta volentes ſequamur. In

hunc

hunc sensum Seneca, Sapiens, inquit, quicquid evenerit, sciet legem esse naturæ, habebitque in animo illud vetus præceptum, Deum sequi. Quid potuit sanctius ab homine Christiano dici? Sapientem pedissequum & imitatorem DEI facere: anne legibus nostris est conveniens, quæ nostri nos Ducis ac Servatoris Jesu Christi fideles & pedissequos & imitatores esse volunt. Erant quidem ex ipsis Stoicis Chrysippi discipuli, qui secundum naturam se vivere putabant, cum recta ratione uterentur: verum non pugnant, nisi in speciem recta ratione uti & Deum sequi, Neque enim Deum sine ratione sequi, neque sine Deo recta ratione licet uti. Vir bonus, inquit Seneca, sine Deo nemo est: Ille dat consilia recta & magnifica. Quicquid facimus boni, qui Christiano nomine gloriamur, Deo unicè ferimus acceptum, sine quo nihil sumus. Quod si latinè loqui voluisset D. Paulus, cum nostram nobis ob oculos posuit infirmitatem, qui sine Divina ope per nos ipsos nè quidem bene cogitamus, DEI autem clementia ac misericordia templa & domicilia Spiritus Sancti sumus, non puto rectius, quam cum Seneca dixisset, Animum rectum bonum magnum DEUM in humano corpore hospitantem esse. Quid homine Christiano dignius, quam hymnos, quos à Sapiente suo exigit Epictetus apud Arrianum, Deo canere, eique pro collatis beneficiis gratias agere? οὐκ ἔδει καὶ σκάπτοντας καὶ ἀρῶντας καὶ ἐσθίοντας ᾄδειν τὸν ὕμνον τὸν εἰς τὸν Θεόν. Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα, δι᾽ ὧν τὴν γῆν ἐργασόμεθα. Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατάποσιν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας ἀναπνεῖν. Ταῦτα ἐφ᾽ ἑκάστου ἐφυμνεῖν δεῖ. καὶ τὸν μέγιστον καὶ θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν, ὅτι τὴν δύναμιν ἔδωκε, τὴν παρακολουθητικὴν τούτων καὶ ὁδῷ χρηστικήν. Nonne & fodientes decet & arantes & comedentes canere hymnum DEO. Magnus Deus, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram coleremus, exhibuit; magnus, qui nobis manus, qui deglutionem, qui ventrem, qui incrementa corporis occulta, qui sub somno respirationem dedit. Pro his universis laudare Deum decet, & maximum divinissimumque hymnum accinere, quod dederit nobis facultatem assequentem hæc omnia, ac certa via rationeque iis utentem. Tam pia de DEO & debita DEO obedientia opinio mores peperit incupatos, fecitque Stoicos præ cæteris vitæ integros, scelerum puros, vitiorumque inimicos capitales. Vitia tua,

oro te, mi Lucille, inquit Seneca, persequere sine fine, nam illis quoque neque modus est, neque finis. Quæ si abstrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum esset. Quis non animadvertit hic illud Christi præceptum; Si vel oculus vel pes tibi tuus sit scandalo, præstat ipsum à te, quam te à DEO avelli. Summa religionis nostræ in eo est, ut DEO serviamus & proximo studeamus, quod Stoicos maxime conatos fuisse accepimus. Nulla secta, inquit Seneca, benignior leniorque est, nulla amantior hominum & communibus bonis attentior, ut propositum sit ei usui esse & auxilio. Nulla igitur dignior fuit, quam amplecteretur Juris prudentes, & præcipue quos penes arbitrium æqui bonique stabat, quam Sapientum illa suavis nutricula, porticusque severioris filia. Solus apud Stoicos sapiens liber, solus dives est, & αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, seipsa contenta est virtus ad beate vivendum. Sapiens Christianorum pietas tanti æstimatur, ut illam possidentes soli sint divites. Soli enim, quod de Stoicis dixit Tullius, possident res & fructuosas & sempiternas, solique, quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis, satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Sapiens ἀπαθὴς & imperturbabilis est: neque gaudio exultat, neque luctu deprimitur, sed morum sanctimoniam, prudentiamque innocentem cuivis fortunæ opponit. Apud Stoicos is demum.

Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris,
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.

Toto vagaberis orbe nec alibi Regem illum quam inter Christianos invenies, qui extra omnem metum dirique pectoris cruciatus in tutela Angelorum latitant,

Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subjiciunt pedibus, strepitumque Acherontis avari,

& inania illa opum, honorum, gloriæ nomina, quibus decipiuntur animi vulgares, infra se vident, nihil desiderant magis, nihil lætius subeunt, quam fatalem illam horam, quæ vitæ hujus turbis animum tranquillitatis avidum eximit & sede quietis æternæ locat. Uti apud Stoicos

- - Sapiens uno minor est Jove, Dives
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,

ita solis Christianis cum Div. Paulo exclamare licet: Sumus quasi morientes & ecce! vivimus, quasi tristes, sed semper gau-

gaudentes, ſicut egentes, ſed multos locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Regia Majeſtas Chriſti diſcipulis ab Apoſtolo tribuitur, cum omnia ipſis vindicat, 1. Cor. 3, v. 22. immo Reges nos fieri in Apocalypſi diſerte D. Johannes ſcribit. Quorſum autem pluribus notiſſimam Stoicorum ſapientiam cum Chriſtianæ religionis doctrina compono, ſi nemo ignorat, ab Hebræis ad Græcos & ab illis ad Romanos veram ſapientiam eſſe profectam. Quorſum de priſcorum JCtorum in hanc hæreſin affectu loquor? Si in JCtorum noſtri ſeculi facile Principe Magno noſtro MEVIO, quicquid in Stoica ſapientia, Chriſtiana pietate & priſcorum JCtorum ingeniis miramur, tanquam in promptuario quodam concluſum & à DEO in publicos uſus reconditum fuiſſe novimus omnes. Nihil ille magis in votis habuit, dum rebus mortalium interfuit, quam ut convenienter Naturæ ejusque Autori Deo, convenienter ſanæ Rationi & natis ex ea legibus viveret, convenienter etiam, cum olim avocaturus eſſet Deus, moreretur, vivens ſcil. & moriens ſemper Deum ſequuturus. Prolixius igitur nonnihil vitam & obitum ipſius cum enarravero. Viri ſapientis, Stoici Chriſtiani, piique JCti idæam vivis me coloribus depicturum eſſe confido. Natus eſt in ipſa ſapientiæ ſede Pomeranicæ Gryphis Athenis Anno hujus ſeculi nono, menſe Decembri. Patrem habuit à Juris peritia & conſiliorum gravitate commendatiſſimum Virum, Nobiliſſimum, Ampliſſ. & Excellentiſſ. Dn. FRIDERICUM MEVIUM, JCtum, Academiæ hujus Anteceſſorum celeberrimum & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſorem optimè meritum, Matrem Matronam pietate & virtute conſpicuam Dn. ELISABETHAM Rhauen. Per Patrem habuit Avum Virum Nobiliſſimum & Ampliſſ. Dn. THOMAM MEVIUM. J.U.D. & in hac Academia Anteceſſorem longè celeberrimum, & Aviam Fœminam Lectiſſimam DN. ANNAM Falcken. Per Matrem numerat inter majores Avum Virum plurimum Reverendum & Excellentiſſimum DN. BALTHASAREM Rhawen/ SS. Theol. Doct. & in hac Academia Profeſſorem Clariſſimum, & quatuor Illuſtriſſimorum Pomeraniæ Principum Ephorum prudentiſſimum, Aviamque Fœminam caſtiſſimam ANNAM Schirffen. Proavus Paternus unus, Ampliſſimus Dn. JOACHIMUS MEVIUS, Stargardiæ ad Inam Conſul: Alter verò Nobiliſſimus & Conſultiſſ. DN. JOHANNES Falcke/

Celsissimorum Pomeraniæ Ducum Cancellarius. Proavia Paterna una DN. GERTRUDIS Appelmans; Altera DN. SYBILLA Brückmannin. Proavus maternus unus DN, JACOBUS Khaw, Consul Neostadiensis in Silesia: Alter DN. AUGUSTINUS Schurff/ Medicinæ Doct. Serenissimi Electoris Saxoniæ Archiater & Professor Wittebergensis. Proavia materna una DN. ANNA Prüben: Altera DN. ANNA Krappen/ D. HIERONYMI Krappen/ Senatoris Wittebergensis, filia. Hisce Proavis splendidoque hoc genere gloriari noster potuisset, nisi pulchrius esset, sua potius virtute, quam fumosis Majorum ceris censeri. Interea, cum sit in natis Patrum virtus, fieri non poterat, quin a Themidis & pietatis Antistitibus genitus, utriusque studium toto vitæ suæ cursu sectaretur: Vix exclusus in auras & adhuc à Matre rubens Deum sequi didicit, eique in sacrosancto regenerationis lavacro per sponsores suos obedientiam promisit, cumque nomine DAVIDIS Regiæ pietati & sapientiæ initiatus, magnarum virtutum semina concepit. Nihil piis Parentibus antiquius fuit, quam ut illa omnis boni capaci ingenio, tanquam læto cuidam fœcundoque insererent agro. Si quæ, ut in pinguiori solo fieri amat, luxuriabant ignaviæ lappæ & morositatis tribuli, aliave hujus generis & ætatis vitia, toti in eo erant, ut quantocyùs eradicarent, ne succrescenti quotidiè sapientiæ & virtuti subtraherent succum & olim essent obstaculo. Audivimus ex ipso beatè defuncto, inde à teneris unguiculis non benè sibi & otio convenisse, sed, nihil agendo malè agere disceret, semper sibi aliquid agendum fuisse. Scilicet id est, quod ad illud sapientiæ & honorum fastigium, è quo oculis ipsum nostris surreptum esse dolemus, evexit, quod inde à primis crepundiis studiis sapientiæ invigilavit, & sub optimis Præceptoribus pueritiam transegit, vitæque totius sapiens rudimentum posuit. Intelligebat, prudentissimus Pater educatione puerorum mores componi, facileque teneros adhuc animos formari, nec parum ad vitæ felicitatem & pietatis amorem conferre, si virtutum fundamenta ab ineunte ætate jaciantur. Corrupta enim educatio, malorumque Præceptorum societas fomes est vitiorum, quæ ubi semel inscii combibimus, quasi morbi quidam nobis congeniti adolescunt & radices altius demittunt, quam ut leviter eruantur. Adeò studiose cavendum, ne in summum jacturæ discrimen, quæ nobis sunt charissima,

ſima, adducamus, præſertim cum longe gravius periculum ſit in diſciplinis quam cibis emendis, nec tam utilis regio & clementius cœlum valetudini proſit, quam animis parum firmis in turba meliorum verſari. Ita igitur Noſter Parentum cura formatus & ita melioribus ſemper præceptis imbutus, meliorumque ſocius fuit, ut per anfractuoſa ſapientiæ legumque præcipitia ſalebroſum iter feliciter emenſus, anno hujus ſeculi XXXIV. ætatis ſuæ XXV. magno ſuo merito Doctorali Laurea coronatus & in numerum Profeſſorum Juris Extraordinariorum ſit receptus. Vix elapſus erat annus, cum neſcia delitescere Virtus Ordinariis ipſum intulit, & inter Academiæ Patres dignum præcoci ſapientia locum conceſſit. Citius ignem cinere, quam Virtutem fortuna tegi & obnubilari ſuo ſuo docuit exemplo, cum anno M. DC. XXXVIII. à vicinis Straleſundenſibus Syndici munus ipſi offerretur, & in Senatu quod populi Caput eſt, oris vice fungeretur. Hîc demum ſe pandebat gloriæ publicæque utilitatis, cui ſuo quodam fato erat deſtinatus, ſpatioſus campus. Domi foriſque ea dexteritate negotia geſſit, ut prudentiam, fidem, conſilium animi magnitudinem, & incredibilem induſtriam Civibus ſuis Sacræque Regiæ Majeſtati Sueciæ, quam publicus Civitatis Orator adiit, dicendi illam vim, qua pollebat, ſuaviſſimam vaſtamque eruditionem omnibus ſatis ſuperque probarit. Quodnam illuſtrius Regiæ erga ipſum clementiæ argumentum afferemus, quam quod Anno M. DC. LIV. Summi eum Tribunalis, quod Wismariæ leges & jura Germanicis Sueciæ provinciis diſpenſat, VICE PRÆSIDEM eminentiſſimum conſtituerit. Scilicet cum collocari in Tribunali Juſtitiæ imago deberet, quam Chryſippus apud Gellium forma atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate depingit, non poterat illa aptius, quam in JCtorum Anteſignano MEVIO NOSTRO adumbrari. Talis enim is Juſtitiæ Antiſtes erat, qualem ſub imagine illa intelligi voluit Chryſippus, gravis, ſanctus, ſeverus, incorruptus, inadulabilis, contraque improbos nocenteſque immiſericors & inexorabilis, erectusque & arduus ac potens, vi & Majeſtate æquitatis veritatiſque terrificus. Excepit tantum hoſpitem debito honore inclyta Wismarienſis Civitas, quem nunc ereptum vehementer dolet, & hoc etiam nomine acer-

acerbius luget, quod debitum Sacræ Regiæ Majeſtati homagium ipſi Regias vices ſuſtinenti olim præſtiterit. Anno M. DC. LVII. à S. R. Majeſtate, Domino noſtro clementiſſimo, ad retundendos Danorum in Ducatum Bremenſem impetus & prohibendam inimicam ejus invaſionem miſſus eſt ad Sereniſſimos Circuli Saxonici Inferioris Principes, Poſtulatum Adminiſtratorem Magdeburgenſem Principem Saxoniæ Hallenſem, Duces Brunſvicenſes Wolferbytanum, Cellenſem & Hanoveranum, & Caſſelanum Haſſiæ Landgravium, cæteroque Danici belli tempore ab æternæ memoriæ gloriæque Principe ac Heroe invictiſſimo, REGE & DOMINO NOSTRO AUGUSTISSIMO CAROLO GUSTAVO ſæpe ad conſilia, quæ in DEI honorem, Principis gloriam, Patriæ commodum Sueticique Regni incrementum ſemper profutura ſuggeſſit, evocabatur. Anno M. DC. LXII. ad ipſum Romanorum Imperatorem ſemper AUGUSTUM, LEOPOLDUM PIUM, FELICEM, præſtandi homagii cauſa ablegatus ita ſe geſſit, ut fidei, temperantiæ, prudentiæ, animique fortis & excelſi in oculis totius Germaniæ pulcherrima documenta dederit, Principiſque, à quo miſſus erat, Majeſtatem gravitate ſua & recondita ſapientia expreſſerit. Cum Anno M DC LXIII. in hac noſtra Pomerania Eccleſiaſticus Politicusq; Status reformandus eſſet, Celſiſſimus Comes & Heros DN. CAROLUS GUSTATUS WRANGEL, Suecici Regni Archiſtrategus, Patriæ noſtro Pro-Princeps & Academiæ hujus Cancellarius Magnificentiſſimus, Dominus noſter gratioſus, & Illuſtriſſimus Heros DN. PAULUS WURTZIUS, S. R. Mtis Generalis & Pomeraniæ Vice Gubernator, beatusque noſter MEVIUS juſſu Sacræ Regiæ Majeſtatis collapſa repararunt, temporumque injuriis violata reſtaurarunt & homagium à tota hac Provincia incolisque ejus omnibus ſuſceperunt. Anno M DC LXVII. Heilbrunnæ gravia, quæ inter Electores Moguntinum & Heidelbergenſem erant diſſidia, jamque in apertum erumpebant bellum, Regia Autoritate feliciter compoſuit. Tantis laboribus periculiſque opimam retulit laudis gloriæque mercedem, proſperamque ſui apud ſeram poſteritatem promeruit memoriam: Audivit quidem ſæpius in publicis Legationibus inſuſurrantes: Hic eſt ille MEVIUS, nec tamen cum Demoſthene ſuſurris talibus dele-

delectatus, sed aurium inflationem cum Tragico reputans modesti animi limites nunquam transilivit. Hæc sunt illa Virtutum, sapientiæ & pietatis Beati nostri MEVII exempla, quæ in publico Germaniæ Sueciæque theatro edidit, nam quæ in vita privata domesticis quotidiè exhibuit, superant numerum & hujus paginæ spatium. Tres habuit Uxores, & cum omnibus placidè jucundeque vixit. Prior fuit fœmina lectissima JUDITHA Tancken / Dn. Licentiati Tancken / Pastoris apud Stralesundenses ad D. Mariæ meritissimi filia, quæ trium ipsum liberorum fecit Parentem. Natu major filius, quam vix ingressus erat, reliquit vitam: Duæ autem filiæ adhuc superstites excessum optimi Patris piis lachrymis prosequuntur. Altera & natu major ELISABETHA elocata est Viro Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo DN. GEORGIO ENGELBERTO, JCto & in hac olim Academia Antecessori dignissimo, nunc Regii Tribunalis Assessori longe meritissimo: Altera autem natuque minor BARBARA nupsit Viro Nobiliss. Ampliss. & Excellentissimo DN. FRIDERICO KLINCOVIO, Regii pariter Tribunalis Assessori gravissimo. Ex altera Conjuge, fœmina longe suavissima DN. MARIA Meyers / Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi DN. THEODORI MEJERI, Consulis Stralsundensis & Consiliarii Provincialis filia, unicum suscepit filium FRIDERICUM, qui in Academia Tubingensi Patris & Majorum vestigiis insistens Jurisprudentiæ studium operamque gnaviter locat. Tertio loco vitæ sibi sociam elegit Matronam sexus sui virtutibus egregie ornatum DN. MARIAM Putschen / DN. Licent. PUTSCHII, Celsiss. Comitis Oldenburgensis Consiliarii gravissimi filiam, quæ insperatum Tanti Mariti obitum, ut decet piam Conjugem, deflet, & debita exuviis ipsius justa persolvit: Septem ex ea liberos suscepit, duas filias & quinque filios, omnes, uno excepto, adhuc superstites & Patrem Maximum immature amissum frustra inclamantes. Tot liberorum Patri mirum est tantam etiam librorum fuisse curam, ut non tantum sedula manu ab aliis scriptos evolveret, sed ipse quoque stupenda industria, inter tot negotia, tot litium tricas, fœcundo ingenio novos pareret & publicæ luci omniumque censuræ exponeret. Extant ipsius Commentarii in Jus Lubecense, cujus

postre-

postremæ Editioni accesserunt Consilia. In manibus, imo oculis omnium sunt Decisionum Summi Tribunalis libri, quorum septima pars jam sub prælo sudat. Discussio Levaminum inopiæ debitorum, de Arrestis, de Locatore & Conductore, de Rusticorum nostrorum conditione & juribus pro iis competentibus Tractatus magni merito à nostris fiunt. Ne quid de ingenti illo opere dicam, quod de Juribus omnium Gentium condidit, cujus sublimitas & utilitas è prodromo sub prælo jam gemente propediem eruditis constabit, ut ex ungue æstiment leonem. Præter quod immineant quoque Consilia, alii supersunt Ejus Tractatus, quos dubio procul blattis tineisve non immolabunt, sed in publicam lucem pii trahent heredes.

Quod ad morbum attinet, qui tandem quiescere laboriosissimum Virum jussit, cœpit is Kalendis Augusti primum animadverti. ἀδυναμία παρὰ λόγον [illegible], virium jactura mox à primo morbi insultu absque prævia inanitione, νωθρὴ καταφορὰ, propensio ad somnum cum segnitie totius corporis, tantus esculentorum omnium βδελυγμὸς, ut nullis dapum lenociniis edendi prolubium posset revocari, Horror, Vertigo, Calor ob profundæ ac sordidæ putredinis nimiam humiditatem μὴ ἐκλάμπων, minusque lucens exterius, quam interius adurens, πῦρ ὑποβρύχιον, ἀλαμπὲς καὶ δριμὺ, ignis alte demersus, obscurus & acris Aretæo dictus, cum linguæ & oris siccitate molesta, levi Paraphrosyne & loquela impeditiore statim prodiderunt malitiosam, vaferrimam atque versipellem febrem. Quod si quis τεχνίτης primis hisce insultibus ad fuisset, forsan in herba potuisset opprimi, quem invalescentem domare non licuit. Est quippe Medicina ὀλιγόκαιρος, & ut in Epistola ad Cratevam loquitur Hippocrates, ab omni arte aliena est procrastinatio, maximè verò à Medicina, in qua dilatio vitæ periculum affert: temporum autem opportunitates curationum sunt animæ, earumque observatio finis. Si enim in therapia febrium pure acutarum fugiendæ sunt comperendinationes, in cura certe malignarum promptissima celeritas etiam mora est. Momento enim quolibet ocyus neglectum venenum humoribus partibusque sese inserit penitusque insinuat, & quo segniores ciet turbas, eò res ægrotantis deteriore loco ponit, furtivaque mansione firmiores radices acquirit. Quarto morbo die cum ego vocatus accessi, Pulsus ordinatus, bonus, Tussis. Difficilior

anhe-

anhelitus. Capitis sudor. Tres sinistræ manus digiti crocata flavedine fugaciter tincti. Cum exponerem periculum morbique naturam nihil gravius metuenti vix impetravi fidem: Sumsit tamen quod pro laxanda alvo Tussique & anhelitus difficultate mitiganda è Cremore Tartari, Aniso & fœniculo concinnaveram medicamentum. Alvus quater soluta. Siccitatem oris Julebo humectavit ex Aquis acetosæ Scordii, cum Syr. Berber. & Moror. Celsi addito Confectionis Alchermes & Spiritus vitrioli tantillo. Quinto, Nox inquieta. Virium major jactura. Sitis. Oris siccitas. Ob iter, quod è prædio suo in hanc urbem conficiendum erat, non nisi de Electuario roborante, & sitim fallente sumsit è Cons. cort. Citri, pulvere Cæsaris rubeo, Extracto Angelicæ, Cornu Cervino, Nitro & Syrupo ex acido Citri. Cum in pensili tectoque curru huc venissemus, nihil ea vespera gravius supervenit. Præscripsi Julebum Alexipharmacum ex Aquis Cardui benedicti, Scabiosæ, Syrupo Acetos. Citri, Succo Citri & Scordii, quibus Spec. liber. sine aloe pulverem Bezoart. nob. & ⊖ C. C. volatilem remiscui. Pedum etiam pulsuumque Epithema ex Anserina Matricaria, Abrotano Aceto Vini maceratis impositum. Sexto non nisi lassitudinem, soporem fauciumque siccitatem querebatur. Pulsus parvus frequens. Nactus ægrum obsequentiorem ex Aquis Card. bened. Scord. Syrupo ac. Citri, Aceto rubi Idæi C. C. præparato, Spec. liber. s. al. & lap. Bezoar Orientali potionem sudoriferam exhibui. Sudavit per horam largiter, & à sudore jusculo refectus est. Cordi Epithema calidum impositum ex Aquis Rosar. Acetosæ, Nymph. Aceto rosar. rubi Idæi, Spec. Diamarg. frig. sant. citrino, camphora, croco & citri corticum pulvere. Septimo Nox ob plurimas phantasias inquieta. Sopor. Ab eo labor. Difficilis respiratio. Languor. Pulsus sano similis. Urina aurea cum enæoremate nubilo portentoso. Ordinavi Emulsionem è semine citri, Napi, Acetosæ cum Aquis card. benedict. & cinam. Diaborag. extractam, eique cum Syrupo Acetos. citri gratiam cum Spec. liber. s. al. C. C. ppto. Bezoartico orientali lapide & Antimonio Diaphoretico debitam conciliavi efficaciam, attamen non nisi in capite, pectore brachiisque sudorem elicuit. A meridie Mixturam roborantem è Conf. Alchermes, terra sigillata, Margaritis, Cornu Cervi & lapide Bezoar Aquisque, Acetosæ, fragorum, Cardui benedicti

&

& Syrupo acet. Citri paravi, cujus ſubinde particulam ſumſit. Faucium impuritas cum non admitteret Tonſoris penicillum, injecta per ſiphonem oris collutione depurata. Veſperi ob alvum pigriorem Clyſter. Is copioſam pituitam & aduſtos humores magno cum levamine vacuavit. Octavo, Nox quieta. Laſſitudo ſola moleſta. Hora V. pomeridiana Potiuncula ſudorifera. Hora noctis duodecima cum ſe frigido expoſuiſſet: Anxietas & difficilis reſpiratio. Ab Epithemate tamen calide præcordiis impoſito rediit exoptata quies & omnia pacata. Nonò, Urina eadem. Pulſus bonus. Calor acris. Lingua pura. Hora VI. matutina injectus Clyſter vacuavit feces aduſtas. Decimo, Nox quieta. Calor tepidus Urina νεφέλιον ſuſpenſum oſtentans. Pulſus ſano ſimilis. Spontanea ἰφίδρωσις rorulentaque ſubſudatio naturæ moventis nihilque promoventis languorem prodens. Hac etiam die Tremor Manuum, Pavor in ſomno peſſimo omine ſupervenerunt. Extractum Pœoniæ cum Alexipharmacis Cereviſiæ ordinariæ tenuiori inditum. Undecimo, Urina turbata quidem, ſed turbida, nec poſt depoſitum craſſum carneum & inæquale ſedimentum ſuperinclaruit. Pulſus bonus. Bibit Julebum. Duodecimo, Urina clara rubra. Pulſus parvus debilis. Injectus Clyſter largiter & cum εὐφορίᾳ vacuavit. Veſperi hauſtulus hidroticus. Decimo tertio, Nox quieta. Somnia non temeraria, ſed, uti jocabatur, gravitate ſua commendata. Urina admodum rubra ſplendens cum enæoremate nebuloſo. Pulſus parvus, humilis, tardus. Cutis manus frigido madore perfuſa. Pavor in ſomno. Tremor & ſubſultus muſculorum. A meridie Extrema frigida. Pulſus obſcurus. Aurium ſuſurri Decimo quarto, Urina pauca rubra cum ſuſpenſo nubis portento. Pulſus nullus. Extrema frigida. Tremor & Concuſſio Artuum. Pœonia, Cinamomum, Scordium & Cervi Cornu oppoſita, ſed omnino fruſtra, nam hora noctis media undecima ſine omni cruciatu, & ſi ita cum Martiale licet loqui, ſine omni morte moriebatur. Dici non poteſt, quam patienter, quidquid eveniebat, tulerit, quamque parvi vitam hanc æſtimarit. Cum aliquando præter mentem excideret mihi, quod pro ſiniſtri eventus omine interpretabatur, Noli, inquit, credere, quod mortem expaveſcam, nam ita vixi, ut mori me minime querar. Ita igitur eſt, Cives, acta ætas honeſtè ac ſplendidè tantam affert conſolationem, ut eos,

qui

qui ita vixerint, judice Tullio, aut non attingat ægritudo aut perleviter pungat Animi Dolor. Quod si Xenophontis instar, qui ἀξιομνημόνευτα Socratis in literas retulit, illa saltem quis conscriberet apophthegmata, quæ sub brevi morbi decursu ex eo audivimus adstantes, parum aberit, quin justus inde nascatur liber. Sapienter & piè MAGNUS noster MEVIUS, donec licuit, vitam instituit, sapienter etiam DEO sic jubente reliquit. Nostrum jam est, ut beato Viro de vera felicitate, cujus desiderio in hoc mundo quam potuit optimè vitam transegit, & cujus nunc demum fruitur voluptate, prolixè gratulemur, nec unquam Virtutum & Sapientiæ MEVIANÆ exuamus memoriam. Cumque accepto à Majoribus more solenni Panegyri Vir Nobilissimus, Amplissimus, Excellentissimus, Clarissimusque DN. D. JOHANNES POMERESCHIUS, JCtus & Antecessor, Regiique Consistorii Director meritissimus, soluta, & DN. M. JOHAN. ERNESTUS PFUELIUS, Humaniorum Professor Publicus, ligata Oratione Antecessoris & Senioris nostri, Viri de Academia & Patria hac universa optimè meriti, eximias Virtutes puriori, quo pollent, eloquio sint deprædicaturi, hic quidem ea ipsa die, qua Wismariæ corpus defuncti humabitur, iste verò octiduo post, uterque hor. 3. postmeridiana: Vestrum erit, CIVES, si sapientiæ, si justitiæ, si pietatis denique vos tangit Amor, ut frequentes concurratis & tanti Viri vitam prolixius intelligatis. Quotquot autem alias in hac Urbe sivè justitiæ, sive pietatis studiis præsunt, bonisve literis partæque honestis artibus gloriæ favent, solenni huic actui interesse minime pigrabuntur.

DEUS autem O. M reddat AUGUSTISSIMO REGI NOSTRO FIDELEM MINISTRUM, Summo ejus Tribunali æque justum Vice Præsidem, huic nostræ Patriæ æque honoratum Civem, & afflictissimæ Academiæ æque faventem Patronum! Tu autem Sapientissima Anima, Have! & quod tantis desideriis semper flagitasti inter brachia Redemptoris tui æternum gaude!

P. P. Gryphiswaldiæ XVII. Septembr. clↄ Iↄc LXX.

Magnifico & Incomparabili huic Viro, DAVIDI MEVIO, concionem lugubrem, magna utique hominum frequentia, Wismariæ habuit M. *Samuel Reimarus*, ad D. Georgii ibidem Pastor, Regiique Consistorii Assessor, ex *Matth.* XXV, 21.

EPICEDIA.

QUantum profuerit, dum vixit, MEVIUS orbi,
Dicere fama satis non nisi sera potest,
Vnius nunc morte Viri tam nobilis Orbi
Et REGI Centum dic periisse Viros.

JOACH. V. HAMMERSTEDT.

EXcessit vita, celebratum nomen in orbe,
MEVIUS. At lethi nescia fama manet.
Vix quemquam reor esse, salus cui publica cura,
In tanto qui non funere damna gemat.

ALB. VOGTIUS Lic. & P. P.

SUBLATO. MEVIO. POST. IMMORTALIA. FACTA.
NON. CREDET. TELLUS. HUNC. POMERANA. MORI.

JOH. ERN. PFUEL. P. P.

DAVID MEVIUS PRÆSES

Per Anagramma

IVI AD DEUM SUPRA ESSE.

IVris & æquorum cultor sanctissime morum
Heu! ubi MEVI es? mœstus te circumspicit orbis.
IVI ad sanctum nunc DEUM supremaque cœli.
Nil mihi vobiscum, SUPRA nunc ESSE triumpho.

MORARE.
QVISQVIS. PRÆTERIS. VIATOR.
REVERERE. MANES. AC. TUMULUM.
PIISSIMI. ET. INTEGERRIMI. VIRI.
QVI. DUM. VIXIT.
FUIT.
SACROSANCTÆ. JUSTITIÆ. ORACULUM.
OPTIMUS. DIVINI. HUMANIQVE. JURIS.
SACERDOS.
SACRARUM. LEGUM. VINDEX. ACERRIMUS.
ÆQVI. BONIQVE. FIDELISSIMUS.
INTERPRES.

AC.

AC. DISPENSATOR. FELICISSIMUS.
BONARUM. ARTIUM. ET. LITERARUM.
DECUS.
NOMEN. SI. QVÆRIS.
SCITO.
QVIESCERE. HIC. OSSA.
MAGNI. ILLIUS.
M E V I I.
SACRÆ. REGIÆ. MAJESTATIS. SVECIÆ.
CONSILIARII. INTIMI.
ET. IN. SUMMO. TRIBUNALI. WISMARIENSI.
VICE-PRÆSIDIS. MERITISSIMI.
SUMMI. OLIM. REGIS.
AD. PLURES. GERMANIÆ. ELECTORES. ET.
PRINCIPES. INFERIORISQVE. CIRCULI.
SAXONIÆ. COMITIA.
MODERNÆQVE. MAJESTATIS. AD.
CÆSAREM.
AD. COMPONENDOS. COMPOSITOSQVE.
FELICISSIMO. LAUDO. SUMMA. CUM. LAUDE.
MAGNOS. INTER. ELECTORES. AAIOS-
QVE. IMPERII. AD.
RHENUM. STATUS. EXORTOS. DE.
WILDFANGIATU. MOTUS.
AD. POMERANIÆ. NOSTRÆ. ORDINES.
UNIVERSOS.
PRO. RECIPIENDO. OBSEQVII. FIDEIQVE.
SACRAMENTO.
LEGATI. ET. ORATORIS. GRAVISSIMI.
VIS. PLURA.
DE. VITA: HUJUS. VIRI. MORIBUS.
ET. FACTIS.
AUDI.
QVICQVID IN. PAPINIANO. TRIBONIANO
CAJO. ULPIANO.
ET. RELIQVA. VETERUM. JCTORUM.
COHORTE.
ANTIQVITAS. HABUIT.
IN. HOC. UNO.
VIDIT. ÆTAS. NOSTRA.
IN. ALIO.

VENTURA. VIX. VIDEBIT.
TESTES. SI. DESIDERAS
RESPICE. ILLIUS. OPERA.
QVIBUS.
ORBEM. SIBI. DEVINXIT. GLORIAM. IMMORTALEM. REDDIDIT.
PAUCIS.
OMNI. EX. PARTE. FUIT. ABSOLUTUS.
ET. IN. NULLO. PENITUS. ERRAVIT.
NISI. QVOD. NIMIS. CITO. MORTUUS.
DIGNUS.
PER. SECULUM. PAPIENTEM. TRAHERE.
SENECTAM.
SED. ERROR. HIC. FATALIS.
MORTALIUM. SORTI. A. NATURÆ. LEGE.
IMPOSITUS.
BEATUS. QVI. BENE. SIC. ERRAVIT.
HÆC. TE. VOLUI.
VIATOR.
DE. CÆTERO.
FAMAM. VIRTUTISQVE. TANTI. VIRI.
QVIBUS. SEMPER. SUPERSTES. ERIT.
REVERENTER. HABE.
CONSIDERA. SIMUL.
LUBRICUM. VITÆ. HUJUS.
MISERANDAS. RERUM. HUMANARUM. VICES.
ET. MEMENTO. MORI.
QVIA. MORTALIS. ES.

J. R. ab O.

S C R I P T A.

Tractatus juridicus de Arreſtis : *Roſtoch.* 1616. 1664. *Francoſ.* & *Lipſiæ* 1674. in 4.
Diſcurſus Nomico-Politicus de Metatis ſeu Hoſpitatione militari : *Gryphisvv.*, 1633. in 4.
Diſpoſitio juris per Tabulas : *VVitteb* 1636. in fol.
Theatri Concurſus Creditorum διάσκεψις : *Gryphuvv.* 1637. in 4.
Diſcurſus de Amneſtia : *Stralſund*, in 4.
Commentarii in jus Lubecenſe : *Lipſiæ* 1642. in 4. *Francoſ.* 1664. in fol.

Diſcuſ-

Discussio levaminum inopiæ debitorum, sive norma æquitatis: *Lipsiæ* 1653. *Rostoch.* 1659. in 4.

Tacitus Politicè resolutus: *Stralsundi* 1663. in 4.

Considerationes juridicæ super sex diversis punctis in caussis Proprietariorum & Pensionariorum: *Halæ Saxonum* 1675. in 8.

Decisiones jurisdictionis summi Tribunalis. Regii, quod est Wismariæ. in IX. Partes distributæ: *Stralſ.* 1664. & seqq. in 4. *Francof.* 1675. in Fol.

Prodromus Jurisprudentiæ Gentium communis: *Strasund.* 1671. in 8.

Responsum juris de Resignatione & Revocatione seu Mutatione, ut & exhibitione Testamenti: *Francof.* 1674. in 4.

Rechtliches Bedencken über die Fragen der Pensionarien und Grundherrn: Stralsund 1640. in 4.

Kurtzes Bedencken von Abforderung der Baurleute: *ibid.* 1645. in 4.

Commentarii über des Hertzogthumbs Bremen Constitution von wucherlichen Contracten: Stade 1975. in 4.

Disputavit quoque publicè de cessione bonorum: De Metatis; De legitimo propriæ & privatæ authoritatis exercitio, pro gradu Doctoris obtinendo, &c.



PROGRAMMA
IN FUNERE.
AMPLISSIMI ATQVE CONSVLTISSIMI
VIRI
DN. GEORGII VVERNERI,
JCti, Codicis in Illustri Julia Professoris Celeberrimi, Facultatis suæ Senioris, ac Dicasterii Guelphici Adsessoris gravissimi.
P. P.

PRORECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ JULIÆ
CIVIBVS SVIS
S. D.

SI quicquam pia & calida Inclytæ hujus Academiæ Juliæ, inque ea tam docentium, quam discentium vota valuissent, non optimis Viris, ante paucos quidem dies præstantissimo Theologo D. BALTHASARI CELLARIO nunc celeberrimo JCto D. GEORGIO WERNERO funus parare coacti fuissemus. Profunda utriusque eruditio, docendi dexteritas, juvandi promptitudo, candor animi, vitæ integritas, eximia prudentia ita caros collegis, venerabiles discipulis, gratos omnibus & singulis reddiderant, ut longam vitam animique & corporis robur illis apprecarentur omnes. Verùm desiderio & voto nostro eheu! excidimus quæcunque est ille divini Numinis à nobis aversio cujus adyta ingredi nec licet, nec lubet. Et ista quidem ipsa luce, qua tumulavimus alterum, cum finiente die vitam finivit alter, excipientibus sese mutuo calamitatibus nostris. Et Hujus quidem de Natalibus quæ accepimus, de

vit

vita etiam acta pauca referemus. Omnia enim illa, quæ dum vixit, longe præclarissima egit, exponere, nec loci hujus est, nec chartarum hæc patitur angustia, suntque etiam ita in oculis & ore omnium, ut commemoratione non indigeant. Natus est Bopfingæ in libera Imperiali urbe in Suecia, anno hujus seculi octavo, patre JOHANNE WERNERO cive & mercatore, matre URSULA WIELANDIA, Quorum Parentum sollicita cura sacro baptismatis lavacro mox regeneratus, dein in primis fidei salvificæ capitibus institutus & ad pietatem bonosque mores manuductus est. Cum vero prompto ingenio esset & propensionem ad studia alacritatemque ostenderet, non deesse conatui laudabili Parentes voluerunt, sed potius omni ope juverunt, currentemque incitarunt. Cum vero progressus faceret indies & majores meditaretur, commodum in vicinam urbem Magdeburgum venit, ubi tum temporis, (uti hodieque) celebris erat Schola, cum illam magna sui laude regeret Sigismundus Evenius. Hic in humanioribus litteris, & in Græca, quod rarum est, lingua plurimum profecit, paravitque sibi subsidia ad præclariores ingravioribus studiis conatus & universæ secuturæ vitæ ornamenta. Hinc non crudus jam, sed subactus probe in Witebergensem Academiam se transtulit, cumque præ aliis Juris Civilis studium placeret, eas quoque Philosophiæ partes, quæ scopo convenientiores, diligenter excoluit, & imprimis JCtos docentes audivit quam diligentissime. Eo quidem eventu, ut jam aliis viam quoque ipse monstrare, & de lumine suo lumen posset accendere. Proin generosus Dominus Matthias Schulenburgius, hæreditarius in Allenhausen, liberis suis eum præfecit: quam curam in tertium usque annum habuit, non sine industriæ laude singulari. Factus est dein Fphorus juvenum itidem generosorum Mahrenholtii & Hardenbergii, cum quibus anno trigesimo octavo in hanc nostram Juliam venit. Ita verò hos in iis omnibus rebus, quæ Remp. recturis aliquando usui esse possunt, erudiit, ut tum non tantum satisfecerit exspectationi, sed hodieque eventus testetur, quo successu illa informatio facta fuerit. Quamvis enim nemo nesciat Civilem prudentiam & regendi populos artem non in juventute, etiam sub dexterrimis præceptoribus, acquiri omnem, sed esse usus & diligentis cum lectionis tum observationis filiam: tamen, nec id prudens quisquam negaverit, pri-

mam juvenum institutionem obstetricias velut manus conferre, ut illustrium animarum dotes excitentur, emineant, & in spem patriæ adolescant. Ut non injuria WERNERUS noster aliquam partem sibi vindicare possit illius gloriæ, quæ magnos illos viros merito suo comitatur, summis Principibus & prudentia & dexteritate agendi maximè gratos acceptosque. Ne nunc dicam de affectu, quo hodieque studia & eorum cultores complectuntur, quem sive ingenii bonitate & judicii rectitudine, sive illa quoque WERNERI institutione confirmatum habent, laudant in illis omnes & nos nostro loco veneramur. Interea vero ille discere quoque, dum doceret alios, celeberrimosque hujus loci Jurisconsultos Johannem Lotichium, Henricum Smerhemium, & imprimis Johannem Thomam Cludium diligenter audire cœpit, exercitiorum qua publicorum, qua privatorum pars semper non postrema. Hinc anno quadragesimo ab Amplissimo illo Collegio ad omnia ordinaria examina admissus est, probatusque, cœpitque mox ipse ad Juris quoque Civilis studia alios manuducere, docendo disputandoque, non parvo applausu. Ut vero disciplinam omnem & legem fori accuratius disceret, causas graves sæpe egit, clientum oppressorum patronus fidus pariter & sollicitus, industriusque. Hac vero felici tam theoriæ, quam praxeos civilis juris conjunctione eminere & in Academia cœpit, & famam sibi parare. Quin, uti fieri assolet, in Aulis Serenissimorum Principum nostrorum mox illa increbuit, eo eventu, ut anno quadragesimo sexto Professorius locus, quamvis extra ordinem, illi concederetur, & biennio post Judicii Aulici Wolffenbüttelensis Assessor constitueretur. Nec diu post summos in utroque jure honores conferri sibi solemniter petiit, quod factum Decano celeberrimo JCto HENRICO HAHNIO. Anno quinquagesimo ordinarium inter Professores Juris locum nactus est & mox à Serenissimo Principe ac Domino, Domino AUGUSTO Duce Brunsv. & Lynæb. Emeriacum missus: qua legatione magna cum laude perfunctus quarto mense domum rediit. Gnaviter tum cœpit seipsum & juventutem exercere, cujus salutem cordi habebat: illa vero amabat eum & reverebatur. Semper illo jus interpretante plena subsellia, alliciente auditorum frequentiam docendi dexteritate. Multa enim in hoc Doctore præclara erant & singularia. Quæsitam in umbra & otio, sed à magnis

gnis Præceptoribus, legum scientiam usu dein & exercitatione confirmarat, prælectionibus verò gratiam afflabat, cum aptissima methodo & facilitate docendi, tum quod ea, quæ in civili vita & foro usum habent, ab otiosis & inutilibus aut antiquatis tam secerneret prudenter, quam id poterat perite. Publicè quidem ex mandato Superiorum primo Institutiones, dein Jus Canonicum & Feudale, tandem etiam Codicem interpretatus est: domi vero operam suam quibusvis petentibus in vasto juris studio addixit, inter gravia & multa negotia otiosus semper, ubi erudiendi studiosi juvenes. Et quidem toto animo deditus erat studiis Academicis: Neque oblatis quamvis splendidis conditionibus aliorsum trahi poterat spe majoris honoris vel lucri. Aversus enim erat ab omni ambitione, suaque nativa involutus purpura, hoc est, conscientia fretus facilè alteram illam exteriorem contemnebat, quæ indignissimis aliquando confertur. Auri vero argentique appetitum usu definiebat & necessitate, nec hic sibi defuturum rebatur, quo se suosque honestè sustentaret. Bonum vero factum, quod illa Præclaro Viro mens, ut Academiæ hujus fieret ornamentum. Non enim naturali tantum inclinatione ad studia hæc Academica ferebatur, sed etiam maximam industriam addebat, auditorum suorum profectus nunc legendo nunc disputando sedulo procurans: nec languidior senectus membris illapsa, nec morbus obstabat, quo minus & domi suæ cum in publicum prodire amplius non posset, lectiones frequenter haberet. Quantus vero Vir fuerit in pronunciandis sententiis, quanta prudentia, quam sollicita cura in negotiis gravissimis Amplissimi Collegii Juridici se gesserit, cum aliis notum est, tum illis præsertim, qui eo fideli collega & laborum socio usi sunt, & nunc amissum ingenti desiderio lugent. In Senatu Academico vota ejus sine singularis prudentiæ & gravitatis notis nunquam erant, ideoque nec applausoribus carebant. Severitatem cum lenitate ita temperabat, ut dulcissimum ex hac & illa cinnum audientes mirarentur. Carus proin collegis omnibus, imo pluribus aliis, quibus tum in hoc loco, tùm in his provinciis aut doctrinæ aut virtutis aut integritatis nomine cognitus erat. Neque cuiquam consilio suo deerat, clientum verò commoda ita curæ sibi esse sinebat, ut magnam inde nominis famam indipisceretur. Cum enim causæ cujuscunq; etiam intricatissimæ, indolem facile pernosceret, & eventum

ſagaciter præviderct, tanto rectius conſilium dare poterat. Domi quoque ſuæ pari prudentia rem familiarem admi-niſtrabat. Cum enim anno quadrageſimo ſecundo uxorem duxiſſet lectiſſimam & moribus, virtuteque imprimis decoram, ANNAM ELISABETHAM Dn. GEORGII KREITZII Præfecti Jerxheimenſis filiam, à D. JOHANNE THOMA CLUDIO adoptatam, ita cum ea vixit, ut ſpecimen & exemplum concordiæ & amoris conjugalis exhiberet. Amiſit quidem eam ante hos octo, & quod excurrit, annos, & ex eo tempore viduus, cum obitum cariſſimæ ſuæ ægerrimè ferret, mœrore & curis rei domeſticæ, & educationis liberorum in ſe unum devolutis, non parum ſe confecit, corpusque debilitavit. Suſcepit enim ex ea numeroſam ſobolem, undecim nimirum liberos, ex quibus unus filius, ſimulac è baptiſmo regeneratus, mortuus eſt, ſuperſtitibus hodieque ſex filiis & quatuor filiabus. Quarum una URSULA Dn. JOANNI DENCKERO Advocato ordinario Magdeburgi, in matrimonium data eſt, reliqui liberi omnes exequias Parenti eunt, tam pleni dolorum & luctus, quam commiſeratione digniſſimi. Judicare enim cuilibet facile eſt, quo animo illi (niſi ſi quibusdam ætas innocens doloris magnitudinem non repræſentat, ſenſumque negat) poſt Matris obitum hanc Genitoris ſui jacturam ferant, orbati nunc utroque Parente, deſtitutique auxiliis & conſiliis omnibus: præterquam, quod poſt Opt. Max. Deum, tutorem orphanorum à bonis quibusque & piis opem exſpectent, quos quoque non defuturos & pietate ipſa incitatos & Parentis meritis motos arbitramur. In illis educandis nihil prætermiſit, quod bonum Parentem deceret, ipſe exemplum liberis præbens & toti domui, ſive cultus divinus, ſive labores ſive humanitatis officia ſuum ſibi tempus poſcerent. Ut paucis dicam, Vir erat optimus & priſcæ probitatis germen. Hoc collegæ teſtantur, hoc cives, hoc vicini, hoc pauperes, quibus ſubveniebat tam libenter, quam qui libentiſſime. Utinam vero hoc tam præſtanti membro frui diutius Academia potuiſſet. Verum placuit aliter DEO. Laboraverat jamdudum σκελοτύρβη, quæ ultimis annis ita graviter afflixit, ut non ſe pedibus ſuis portare potuerit, aut ſedens ſemper, aut decumbens. Miſera profecto, & vixdum, vita. *Non eſt vivere, ſed valere, vita.* Tulit tamen hæc omnia patienter, niſi quod graviora etiam mala metueret, cum ſenſim ſibi collabi vires ſenti-

sentiret & ea quoque meliore sui parte inciperet deficere, qua quondam valebat quam maxime. Adhibitis tamen singulari cura remediis ad se redire subinde visus est, certè præter illa modo dicta incommoda grave nihil passus. Ante sex hebdomadas appetitus omnimoda dejectio, imò nausea quoque cum singultu supervenere, cœpitque in somnum præter modum propendere. Vigesimo verò octavo Septembris in profundissimum soporem prolapsus est, è quo, quamvis fortibus medicamentis aliquantulum excitaretur, ut & ad interrogata rectè responderet, astantiumque preces attente audiret, mox tamen recidivam passus est, idemque somnus fratri suo eum tradidit, paulò post duodecimam horam noctis. Uti placida tota vita fuit, sic & mors sine doloribus ullis, sine anxietatibus, sine concussionibus, qualem sibi quisque optaverit. Non quidem adeo brevis illi vita fuit: vixit enim sexaginta tres annos, hebdomades septem, & quatuor dies. Quos tamen illius virtutis desiderium tangit, aut quibus ipse natura vel affectu Pater fuit, illis brevissimum hoc tempus videtur. Desiderant autem longe plurimi, imò omnes, qui rectè noverunt, & verum pretium dotibus ejus ponere didicerunt: quales quidem hoc in loco plurimi sunt. Tanto minus dubitamus, Cives Academici, quin, cum hodie exequiis illius dictus sit dies, prompte omnes hoc ultimum quoque officium optimo viro persoluturi sitis. Celebremus verò non nunc tantum exequias tanti Viri, sed imposterum quoque: Celebraturi quam optime, si exemplo illius nitamur ad optima: Si virtutes illius, integritatem, candorem, totam denique vitam prudenter actam censuram nostram esse putemus. Valete. P. P. Helmstadii in Academia Julia Idib. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LXXI.

SCRIPTA.

Disputavit in magno Juléo de nobilissimis juris materiis e. g. De Amissione & devolutione Feudi: De Restitutioniqus in integrum: De tutela & cura: De jure Dotalitiorum: De sententia: De Crimine læsæ Majestatis: De separationibus: De Reconventione: De jure succedendi in rebus expeditoriis & utensilibus; De judice in genere considerato: De scripturæ potestate ac usu in negotiis civilibus: De Præferentia Creditorum in Concursu, eorumque privilegio: De Solu-

ſagaciter prævideret, tanto rectius conſilium dare poterat. Domi quoque ſuæ pari prudentia rem familiarem adminiſtrabat. Cum enim anno quadrageſimo ſecundo uxorem duxiſſet lectiſſimam & moribus, virtuteque imprimis decoram, ANNAM ELISABETHAM Dn. GEORGII KREITZII Præfecti Jerxheimenſis filiam, à D. JOHANNE THOMA CLUDIO adoptatam, ita cum ea vixit, ut ſpecimen & exemplum concordiæ & amoris conjugalis exhiberet. Amiſit quidem eam ante hos octo, & quod excurrit, annos, & ex eo tempore viduus, cum obitum cariſſimæ ſuæ ægerrimè ferret, mœrore & curis rei domeſticæ, & educationis liberorum in ſe unum devolutis, non parum ſe confecit, corpusque debilitavit. Suſcepit enim ex ea numeroſam ſobolem, undecim nimirum liberos, ex quibus unus filius, ſimulac è baptiſmo regeneratus, mortuus eſt, ſuperſtitibus hodieque ſex filiis & quatuor filiabus. Quarum una URSULA Dn. JOANNI DENCKERO Advocato ordinario Magdeburgi, in matrimonium data eſt, reliqui liberi omnes exequias Parenti eunt, tam pleni dolorum & luctus, quam commiſeratione digniſſimi. Judicare enim culibibet facile eſt, quo animo illi (niſi ſi quibusdam ætas innocens doloris magnitudinem non repræſentat, ſenſumque negat) poſt Matris obitum hanc Genitoris ſui jacturam ferant, orbati nunc utroque Parente, deſtitutique auxiliis & conſiliis omnibus: præterquam, quod poſt Opt. Max. Deum, tutorem orphanorum à bonis quibusque & piis opem exſpectent, quos quoque non defuturos & pietate ipſa incitatos & Parentis meritis motos arbitramur. In illis educandis nihil prætermiſit, quod bonum Parentem deceret, ipſe exemplum liberis præbens & toti domui, ſive cultus divinus, ſive labores ſive humanitatis officia ſuum ſibi tempus poſcerent. Ut paucis dicam, Vir erat optimus & priſcæ probitatis germen. Hoc collegæ teſtantur, hoc cives, hoc vicini, hoc pauperes, quibus ſubveniebat tam libenter, quam qui libentiſſime. Utinam vero hoc tam præſtanti membro frui diutius Academia potuiſſet. Verum placuit aliter DEO. Laboraverat jamdudum σκελοτύρβῃ, quæ ultimis annis ita graviter afflixit, ut non ſe pedibus ſuis portare potuerit, aut ſedens ſemper, aut decumbens. Miſera profecto, & vixdum, vita. *Non eſt vivere, ſed valere, vita.* Tulit tamen hæc omnia patienter, niſi quod graviora etiam mala metueret, cum ſenſim ſibi collabi vires

ſenti-

sentiret & ea quoque meliore sui parte inciperet deficere, qua quondam valebat quam maxime. Adhibitis tamen singulari cura remediis ad se redire subinde visus est, certè præter illa modo dicta incommoda grave nihil passus. Ante sex hebdomadas appetitus omnimoda dejectio, imò nausea quoque cum singultu supervenere, cœpitque in somnum præter modum propendere. Vigesimo verò octavo Septembris in profundissimum soporem prolapsus est, è quo, quamvis fortibus medicamentis aliquantulum excitaretur, ut & ad interrogata rectè responderet, astantiumque preces attente audiret, mox tamen recidivam passus est, idemque somnus fratri suo eum tradidit, paulò post duodecimam horam noctis. Uti placida tota vita fuit, sic & mors sine doloribus ullis, sine anxietatibus, sine concussionibus, qualem sibi quisque optaverit. Non quidem adeo brevis illi vita fuit: vixit enim sexaginta tres annos, hebdomades septem, & quatuor dies. Quos tamen illius virtutis desiderium tangit, aut quibus ipse natura vel affectu Pater fuit, illis brevissimum hoc tempus videtur. Desiderant autem longe plurimi, imò omnes, qui rectè noverunt, & verum pretium dotibus ejus ponere didicerunt: quales quidem hoc in loco plurimi sunt. Tanto minus dubitamus, Cives Academici, quin, cum hodie exequiis illius dictus sit dies, prompte omnes hoc ultimum quoque officium optimo viro persoluturi sitis. Celebremus verò non nunc tantum exequias tanti Viri, sed imposterum quoque: Celebraturi quam optime, si exemplo illius nitamur ad optima: Si virtutes illius, integritatem, candorem, totam denique vitam prudenter actam censuram nostram esse putemus. Valete. P. P. Helmstadii in Academia Julia Idib. Octobr. Anno cIↃ IↃc LXXI.

SCRIPTA.

Disputavit in magno Juléo de nobilissimis juris materiis e. g. De Amissione & devolutione Feudi: De Restitutioniqus in integrum: De tutela & cura: De jure Dotalitiorum: De sententia: De Crimine læsæ Majestatis: De separationibus: De Reconventione: De jure succedendi in rebus expeditoriis & utensilibus; De judice in genere considerato: De scripturæ potestate ac usu in negotiis civilibus: De Præferentia Creditorum in Concursu, eorumque privilegio: De Solu-

Solutionibus: De Dignitatibus: De Conditionibus: De Collatione bonorum: De judiciis in genere & personis ea constituentibus principalibus: De beneficio dationis in solutum: De Momento temporis: De jure confusionis: De Pœnitentia: De jure Protimiseos: De Obligatione Legum: De re militari: De origine, usu & auctoritate juris Canonici: De privilegio sumptuum studiorum causa factorum: De jure Emphyteutico: De Auctionibus: De Rationibus &c.

Ad Magnificam Funerationem.

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi,

DN. THEODORI VVOLDERI,

J. U. Doctoris, Ejus in Academia

Regiomontana Professoris Primarii, Supremi in Prussia Tribunalis Consiliarii atque Consistorii Sambiensis Assessoris gravissimi,

Cives suos invitat

RECTOR ET SENATUS

ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

ITaque ruere videtur domus WOLDERIA, dum immitioris Fati violentia, Columna primum, in spem perennantis sumpta Prolis, *Beatissimus Luntzius* cadit, ut dies non multò post suis fundamentis atque basi exscinderetur: dum VIR NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS, CONSULTISSIMUS, DOMINUS THEODORUS WOLDERUS, J. U. DOCTOR, EJUSDEM PROFESSOR PUBLICUS ACADEMIÆ

DEMIÆ NOSTRÆ PRIMARIUS, SUPREMI TRIBUNALIS CONSILIARIUS atque CONSISTORII SAMBIENSIS ASSESSOR GRAVISSIMUS, ſuam Mortalitatem explevit. Ille in hac noſtra Provincia, Nominis Wolderii, ultima ſpes erat; in illo ſuperſtite atque vivo, ſupererat ac vivebat Wolderia virtus; Domusque inclinata in illo recumbebat; nunc poſtquam præpropera fata, cedere eum his ſtationibus juſſerunt, Lapſa jacet *Gens Nobilis*, atque radicitus præciſa, nunquam ſe amplius offerret ſpectandam. Indubium nobis ſummum apicem attigiſſe Wolderios, in Theodoro Woldero, fuiſſeque tempus, ut deſcenderet Nobilis Familia, quæ aſcenderat virtute, quo Mortales eniti poſſunt. Nihil enim in ævo ſtabile & conſtans, qum deducit Fortuna ſuos alumnos in altiores gradus dextera, ut mature ſiniſtra reducat ad inferiora. Hanc Fortunæ indolem, Pulcherrimo ſymbolo adumbravit Pittacus, qui Mitylenæ diis donum oblaturus, templis ſcalam fecit, repentinos per aſcenſus gradientium pedes promoventem, ſed & denuo evectos in ſublime, humi deſtituentem: atque aſcendentes appellavit, quibus proſpera rideret fortuna: deſcendentes quos affligeret miſeria. Itaque miſerrima Domus Wolderia, quæ inter ſublimia quidem, ferebat caput; jam ſydera vertice tangens, hoc eſt inter Proceres Patriæ ſui Theodori virtute, conſpicua: ſed ita deſcendit, ut aſcendat nunquam. Infeliciſſimum Hortulano, ſi fœcunda atque optimorum fructuum ferax arbor exuratur, ut ſurculum carpere non poſſit, quem in concidentis ligni locum depangat. Et hæc Wolderiæ Domus infelicitas. Jacet mortis ſucciſa falce, neque ſunt ſurculi & ſtolones, in ſpem Gentis ſufficiendi. O Fatorum invidiam! quæ non ſegnes atque inertes perſequitur Gentes: ſed optimas invadit, non humiles Myricas proſternit: ſed cœlo minantes affligit cedros. Jam quæ nunc Mœſtiſſimæ Viduæ conditio? quæ rerum facies? quis mœror Ingeminant Fata cladem. Vix rorantes inter lacrymas FILIÆ NOBILISSIMÆ MARITUM tumulavit, atque Ecce jacet CONJUX AMANTISSIMUS, ut tota jaceat Familia. Quam Amœna Domus tuæ haud ita pridem frons atque vultus? cum LUNTZIVS, VIR JUVENIS firmus valens, ſucciplenus, ante oculos tuos obverſabatur atque promittebat prolem, quæ te olim Aviam ſalutaret: Cum WOLDERVS, jam in dignitates, quæ in

Patria

Patria summæ sunt, evectus, Honoris te præcipui participem reddebat. Radiabant hæc GEMINA fortunæ CAPITA aut sydera potius, in tua DOMO, sed eheu! nimio suo fulgore, fatis suis præludebant. Quemadmodum enim Phœbus, suo coronamento apparens, orbi tempestatem præcunciat, & Calor nimius frigescentes descendere pluvias dicit: Ita Honor, qui nobis summus est, fatalium jam imminentium index est. Exemplis omne ævum scatet. Author est Æmilius lib. 8. atque Platina in Nicolao tertio: cum Hugolinus Giraldescus, civis Pisanus, Guelfarum partium princeps, contraria factione pulsa, partim perculsa, eo potentiæ domi pervenisset, ut pro nutu omnia administraret, patriæque Dominus & esset haberetur: in Festo Natalis sui celeberrimo convivio, ad quod suos omnes vocaverat, dum fortunam suam fando effert, quendam ex intimis Amicis MARCUM, quid tandem sibi deesse arbitraretur, interrogavit. Ille, *sola*, inquit, *ira Numinis procul diuque abesse à tam secundis rebus non potest*. Nec multo post subjicit Historicus: *Guelforum viribus consenescentibus, Gibellini armis arreptis ædes ejus expugnaverunt; unum è filiis & nepotibus vim arcere conatos occiderunt: ipsum cum duobus filiis & tribus nepotibus comprehensum & in turrim inclusum, fame necarunt.* Hic Mirare inconstantiæ humanæ vivum exemplar! Qui haud ita pridem victis Giballinis, triumphaverat: En jacet vinctus qui mensas regalibus oppleverat epulis, emoritur fame, qui vinum non una positum cella tenebat, aridas occludit fauces, qui amplissimas habebat possessiones, inter Carceris angustias mortem trepidus exspectat. Adeo fortuna, quibus blanditur nimium, insidiatur, & quo alumnos suos tollit altius, eo præcipitat demissius! Admirabile est præsagium Ambrosii Episcopi Mediolanensis, qui cum in ædes Viri cujuspiam omni opulentia instructi divertisset atque in audiret jactanter eum gloriari; *dies sibi omnes vitæ cum gaudio, sine ulla admista acerbitate diffluxisse*: recessit è vestigio cum suis atque rogatus causam respondit; *ne una cum homine, perpetuis prosperitatibus uso, simul pereat*. Atque Bono suo excessit Ambrosius. Vix enim pedem moverat cum diversorium respiciens, vidit pandere terram suas fauces atque Ædes illas, cum habitatore & sociis omnibus haurire. Quid memoremus; Philippum Macedoniæ Regem, cum uno eodemque tempore tria insurgentis fortunæ nuncia acce-

accepisset, equestri cursu quadrigas suas Olympia vicisse, Olympiam uxorem Alexandrum filium peperisse, Parmenionem denique Ducem suum Dardanos vicisse: tantum abest, triplicato fortunæ munere, animo lætatum esse, ut tensis ad superos manibus atque oculis nimios fortunæ successus sit deprecatus. Quare prudenter Amasis Ægyptiorum Rex, Polycrati Samiorum Tyranno inculcavit Consilium, prosperam per omnia fortunam, re quadam acerbiori attemperaret, atque quo conciperet dolorem animo, rem sibi charissimam abjiceret: ille annulum inæstimabilis pretii Neptuno dedit brevi, post illum Pisce restituente. Quæ nova felicitatis successuræ auspicia, permoverunt Amasin, ut Herodoto teste, *amicitiæ Polycratis renunciaret, ne ex lege amicitiæ, ob gravem aliquem casum, summo afficeretur aliquando dolore.* Valuit inter Gentes, quod Monuit Demonax Hadriani Tempore summus Philosophus: *Viri fortunati ne obliviscerentur, quam cito desituri essent.* Sed qui Christi profitemur doctrinam, verius cognovimus, inter transitoria nos positos esse, non cæcutientis Deæ manu, in nos bona & mala distribui sed à Numine supremo rerum humanarum arbitro isthæc dispensari: quod nunc divitiis honoribus, dignitatibus nos afficiat; nunc ea omnia suum depositum mature repetat. Hinc invidam non pertimescimus cum Gentili fortunam, sed in Domini omnia disponentis voluntate acquiescimus. Ibi tum cumprimis læti exspectamus ictum, cum mors incumbit, missura non immortalitatem. Equidem Gentibus tremenda mors, atque est illis terribilium terribilissimum, sed nobis exoptatissimum, utpote quo miseriis hisce omnibus liberamur atque soluti corpore, habitamus sidera, expediti hominibus, choris admiscemur Angelicis, pro terra cœlum occupaturi. Quare ubi illi reputabant Beatitudinis extremum, hic nobis veræ felicitatis initium. Hæc omnia per vitam altius reputabat BEATISSIMUS noster, qui positus in splendida conditione, opulentia, dignitate, materiam illud arbitrabatur, exercendi Virtutem faciendi pietatem. Non impetum extimescebat Fortunæ, sed DEI nutum, à quo velut omnia, ita restituere illa omnia paratus erat: opes, dignitates, quin ipsam vitam. Suggerebat hoc illi Nominis Theodori interpretatio, & quando data sibi omnia DEI donum existimabat, se ipsum cumprimis suppeditatum orbi, ut redonaretur cœlo: non adhærescebat mente mun-

do,

do, sed utebatur illo tanquam mox relicturus, atque ita erat in corpore, ut paratus esset stare apud Deum. Gerimus manibus tot documenta, pientissima illius Carmina; quibus non tam Clarissimorum hominum exequias nobilitavit, quam mundi se pertæsum, atque paratissimum esse abire si jusserit Deus. Quare splendidam qua usus est fortunam, non indicem suspiciamus irruentis infelicitatis, sed serenioris fati præludium, & putemus beatiorem inter sidera, qui beatus fuit in terra. Sit novissimus illius honor, quo Tribunal patrium occupavit; augurium fatalis horæ, hæc tamen illi aditum reclusit, in augustiorem longè felicitatem. Quippe non occupat nos fatum, sed vita, & quod mori sensus reputat; fides vivere appellat. Sed ut vivat etiam in hominum Conscientia desideratissimus noster Collega, his paginis, victuris in orbe chartis enitendum est: Ingressus est hunc orbem, Anno 1628. d. 23. Decembr. Progenitore, *VIRO PLVRIMVM REVERENDO atque CLARISSIMO DOMINO M. MARTINO VVOLDERO, ECCLESIÆ PALÆOPOLITANÆ PASTORE MERITISSIMO.* Matrem suspexit, *LECTISSIMAM ATQVE SEXVI SVO IN EXEMPLVM PRÆLVSTREM MATRONAM, DOMINAM ANNAM VOGLERIAM, VIRI ADMODVM REVERENDI ATQVE DOCTISSIMI, DOMINI IOHANNIS VOGLERI FILIAM.* Qui Parentes optimi Filium suum ab avitis ablui sordibus per sanctissimum lavacrum accurarunt, atque deinceps eum in Domini Timore, qui sapientiæ initium est, sollicite educarunt. Atque dum Artium elementa bibit, singulari literaturæ desiderio, exarsit puer, ut acerrimus genii æstimator Parens, jam qualem habuimus maturè auguraretur. Quippe qualis auroræ flamma, talis diei lux: & vel primus lapidis ictus, quot latitent igniculi præmonstrat. Fovet Parens illud desiderium, atque eum Scholæ Palæopolitanæ Doctissimis Præceptoribus, quos inter duodecimum attigit annum, erudiendum tradit. Superare hic visus industria & doctrina ætatem, aut minimum ostendere, spem firmam, quam omine conceperat Parens. Hinc datus inspectioni Clarissimi Domini M. Caspari Devitii, ivit in Keidanense Gymnasium, ubi subsistens biennium, & linguam Polonæ Gentis comprehendit, & in humaniori literatura multum profecit. Redux, Triennium adhuc integrum trivit in trivio, & abluit animum inter Musas inferiores, ne

illo-

illotis manibus Apollinis tangeret sacra. Quæ plurimorum dementia, ut ingurgitent in Philosophiam, aut vel illa neglecta, applicent animum Facultati, antequam surgendi in sublimia facultatem sunt adepti. Sed robur jam sumpserat in illis, quæ Trivia Profitentur & venit in Academiam nostram, cum bona venia Missus, à Plurimum Reverendo atque Clarissimo Viro Domino Christophoro Schrödero, tunc Rectore, nunc Ecclesiæ Veteris Oppidi Diacono Meritissimo. Ne autem iret sine duce in Musarum penitiora, dux illi à Parente destinatus Clarissimus M. Crellius atque facem in Moralem Sophiam illi prætulit Excellentissimus Pichlerus. Tutius ambulat, qui Mercurii ostensione viam tenet. Nec errat, qui Deum sequitur vialem. Hinc recta via Themidis libavit sacra, atque variis disputationum conflictibus probavit, maturuisse profectus, & esse tempus peregre eosdem solidare. Hinc ivit per Sedinum Berolinum, aliasque urbes famosas Wittebergam, ubi Juris scientiæ incumbit, ut subinde in circumjacentes Academias faceret excursiones atque in Clarissimorum Professorum admissiones sese penetraret. Antequam autem profundius sumeret iter An. 1651. domum revocat eum Parens, ut exploraret profectus, quibus insigniter declaratis, Basileam illum adire jubet, quæ supremos in jure honores Anno 1652. illi detulit. Hinc visis Academiis plurimis, Argentoratensi, Marpurgensi, Heidelbergensi, Giessensi, Jenensi, Lipsiensi revenit Wittebergam, ubi docendo, disputando, probavit Serenissimo Nostro, dignum se professione, quam extraordinariam haud difficulter An. 1654. in Regiomontana nostra adeptus est. Illuxerat A. 1655. quo pronubis fatis Conjugii fidem dedit Nobilissimæ Matronæ, Viri Nobiliss. Ampliss. atque Consultiss. Domini Friderici Pöppingii Senatoris Palæopolitani Gravissimi Viduæ, quam habuit 17. Annos tenerrime, quamvis nulla prole beatus. Si Beatitudo exundare sobole, ut undes subinde miseria, quæ ibi diffluentior, ubi affluunt illi qui infortunii materiam subministrant, Destitutus autem prole, docuit jus universum, Integros A. 17. atque progeneravit in animis audientium ex sua mente scientiam, cum prohibente cœlo, corpore sobolem nequiret. Promotus autem ad Ordinariam Juris Professionem, absolvit integrum jus Civile atq; Canonicum: affuit Senatui Academico, consilio fide: bis gemino functus est Magnifici Rectoris officio: datus est Sambiensi Consistorio

Assessor: denique supremam in Patria dignitatem occupavit, quando SERENISSIMI Consiliarius summi apud nos Tribunalis est constitutus. Diceremus ejus in omni officio sedulitatem, industriam, fidem, dexteritatem, in negotiis expediendis promptitudinem, nisi hæc in publicum constarent omnia. Non est fundas verba, ubi rumor & fama. Cæterum Numinis sui per omnem ætatem fuit observantissimus, frequentavit templa, sumpsit Mysteria, atque illis Conscientiam expiavit. Vita illius procul erat à fastu, à superbia; delectatus simplicitate, cum omnibus modeste, pacate, tranquille est conversatus. Talento, quo Multiplici illum Numen instruxerat, non abusus est in vanitatem, sed proximi sui utilitatem, quemadmodum Ingenii ejus Monumenta varia typis exscripta testantur. Sed ut erat infirmioris semper valetudinis, ita diversos impetus, subinde sensit, ut tamen DEO vires subministrante, officio suo rite fungi potuerit; usque sub Martini festivitatem Morbus hypochondriacus eum lecto affixit, ut ex variis symptomatis simul irruentibus, instare extrema facile colligeret. Hinc despexit mundum, erexit animum atque ut esset expeditior in viam, divinius viaticum sumpsit. Visus autem subinde recolligere vires & spem facere Valetudinis, quam præcidit nupera Dominica h. 9. matutina ex insperato ingruens frigus & letalis virium defectus, qui respirationem inhibuit & horas inter 4. Beatissimum, inter devotissimas preces exstinxit. Quod vestrum est Meritissimi Vestri Professoris, exequias, frequentes ire memineritis. P. P. 1672. 8. Januarii.

EPITAPHIUM.

Fessa sub hoc tumulo WOLDERI *membra quiescunt;*
Hac cineres Magni continet urna VIRI
Cui reserans rediviva suos Astræa recessus
Prussiacæ jussit tradere jura scholæ:
Quem coluit doctum sociali jure Senatus,
Cuique sua haut rarò sceptra gerenda dedit:
Cui fuerat quoque cura fori concredita sacri,
Ipsaque quem causis obruit aula suis:

Dul-


Dulcia quem facilis fingens in carmina Phœbus
Grandisonæ docuit plectra movere lyræ:
Denique dexteritas, Probitas, Prudentia, Virtus
Quem simul in castris erudiere suis.
Omnia sed rigidis confundens Atropos ausis
Condidit hic tantas Nobilitatis opes.
Tu vanas hominum res hinc cognosce, Viator.
Et cineri requiem ritè precatus, abi.

MARTINUS SILVESTER GRABE, Theol. Doct. P. P. & Biblioth. Elect.

SCRIPTA.

Tyrocinii privati ad quatuor Institutionum Justineanearum libros Exercitia VIII. *Regiomonti* 1663. in 12.

De Verborum & rerum significatione Disputationes XV. in inclyta Borussorum Academia habitæ *ibid.* 1666. in 4.



PROGRAMMA

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS RADOVIUS,

Juris Doctor & Profeff. Publ.

Ad Exequias,

quas

VIRO Nobiliſſimo, Ampliſſimo, atque Conſultiſſimo,

DOMINO

CHRISTIANO VVOLDENBERGIO,

Crempa Holſato, Phil. J. U. D. & Decretalium Prof. Publ. famigeratiſſimo, Comiti Palatino Cæſareo, & Ducalis Conſiſtorii Aſſeſſori graviſſimo, Collegæ noſtro conjunctiſſimo, nunc beatiſſimo,

Pientiſſimæ, mœſtiſſimæque Matris abſentis nomine,

VIR pl. Reverendus atque Doctiſſimus

DN. ANTONIUS GUNTHERUS KNAUT, Eccleſiaſtes Crempenſis fideliſſimus, germanique pie defuncti fratris b. m. Gener,

HODIERNA HORA PRIMA ſolenniter ac decenter parabit,

Omnes omnium ordinum Cives Academicos officioſe & peramanter invitat.

Nul-

NUllam calamitatem esse solam, sed exitum mali unius, gradum esse alterius, multi quotidiè experiuntur, & Academia nostra tempore non multo cum ingenti dolore sensit. Post persoluta enim justa Viro JCto inter paucos memorabili, HERMANNO LEMBKENIO, iterum ad flebile & funestum officium invitamur, nondumque sedatum luctum redintegrare compellimur in acerbo funere Nobilissimi, Amplissimi atque Excellentissimi Viri, CHRISTIANI WOLDENBERGII Philosophiæ pariter ac J. U. D. & Professoris Decretalium Celeberrimi, Comitis itidem Palatini Cæsarei, & Consistorii Ducalis Assessoris gravissimi, Amici & Collegæ nostri, uti olim conjunctissimi, ita nunc desideratissimi, qui id unice in vita egit, ut docendi, quod sustinuit, munere egregiè exornato, flaccescens Rosetum nostrum pristino flori quodammodo restitueret, ingens Reipublicæ nostræ decus atque columen, justitiæque sacerdos egregius. Equidem justus ex duplicato vulnere dolor nos contra mortis violentiam in majorem indignationem erumpere cogeret, nisi vehementem injustarum forsitan & nil profuturarum querelarum impetum cohiberet humanæ sortis cogitatio. Accusare fata possumus, mutare non possumus: stant dura & inexorabilia. Contra vim mortis nihil prodest vitæ innocentia, nihil sincerus ac probus literarum amor, nihil ab omni labe mens vacans, sed natura rerum eodem temporis momento & accipiendi Spiritus & reddendi nobis legem dixit. Concinna satis & arguta est allusio quam super inevitabili moriendi necessitate fecit Augustinus *lib.* 13. *de Civit. DEI. Non importune*, inquit, *neque incongrue arbitror accidisse etsi non humana industria, judicio fortasse divino, ut hoc verbum, quod est*, moritur, *in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint eâ regula, qua cætera talia declinantur. Namque ab eo, quod est*, oritur, *fit verbum præteriti temporis*, ortus est, *& si qua similia sunt, quæ per temporis præteriti participia declinantur. Ab eo verò, quod est, moritur, si quæramus præteriti temporis verbum, responderi solet*, mortuus est, *V litera geminata: sic enim dicitur mortuus, quomodo fatuus, arduus, conspicuus, & si qua similia, quæ sine tempore declinantur. Illud autem, quasi declinaretur, quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Convenienter itaque factum est,*

ut quemadmodum id, quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit. Cæterum ineluctabilem hanc fatorum vim vix incusare sustinebit, qui cogitat non in perniciem humani generis, sed in salutem ejus introductam esse mortem. Quanquam enim per naturam suave sit vivere, per rationem tamen non insuave est mori; nec hercle malum erit, quod vitæ extinguit mala, multosque liberat tormentis, egestate, querelis, suppliciis, tædio. Non injuria Solon oppida & communitates mera miseriarum appellavit domicilia. Annon enim omnis vita est supplicium: quæ pars ætatis calamitatibus vacat? Infans à lacrymis auspicatur vitam, hocque solum habet anxietati suæ solatium: Juventa in eo infelicior, quod non saltim mala patiatur, sed etiam agat. Crescit cum annis miseria, & ipsa Senectus vitæ hyems audit, & sentina malorum, in quam confluit, quicquid est infirmum fragileque naturæ. Sed quid juvat deflere partes, cum tota vita flebilis sit? antequam veteribus incommodis est satisfactum, nova urgent. Hæc adeò vera sunt, ut ad inspirandum vitæ tædium & mortis dulcedinem non opus sit aut eloquentia Philosophi Cyrenaici Hegesiæ, aut Philosophia Platonis, qui de immortalitate disserentes nonnullis voluntariam mortem persuasisse leguntur. *Mori*, inquit Cicero, *nemo sapiens miserum duxit.* Hinc mors laudatur fortibus, expetitur miseris, non recusatur felicibus nec terribilis est, nisi iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, & quorum fama simul emoritur. Ad majora natus est homo, quam ut terræ serviat, nec alia ad immortalitatem, quam expetimus, via est, præter bonam mortem, quæ melioris vitæ est ingressus. Epaminondas, summa Thebanorum felicitas, idemque prima Lacedæmoniorum clades, cum pro salute patriæ egregiè dimicans mortiferum vulnus acciperet, de reportata victoria accepto nuntio inquit: *Non finis, commilitones, vitæ meæ, sed melius & auctius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, qui sic moritur.* Quod si in togata militia æque ac in sagata gloriæ locus est, ecquur non superfutura sit fama ejus, qui per vitam debellatis justitiæ hostibus, invidia, auro, affectibus, in medio tam sancti officii cursu exspiravit? Tali certè Viro non terrestris saltim hæc, sed etiam cælestis debetur immortalitas. Hanc quoque adeptum nuper esse Nostrum, cui hodiè justa exsolvimus, nulli dubitamus, cum non ignoremus,

quam

quam sancte in vita tractaverit cœlestem hancce virtutem justitiam, rem inter homines utilissimam, DEO gratissimam. Testatur id ipsum amplius totus vitæ ejus cursus, quem, pro instituto nostro, brevibus hic pertexemus. Natus is est Crempæ in Holsatia, anno 1621. 14. Octobris ex pia & honesta prosapia, & patre quidem Viro pl. Reverendo atque Doctissimo NICOLAO WOLDENBERGIO, Pastore in Regia ista civitate per novem annos, & duos Menses fidelissimo: Matre verò MARGARETHA TOLLIA Matrona virtute pariter ac ætate conspicua, cui per DEI gratiam adhuc superstiti & ob insperatum Filii carissimi afflictissimæ, solatium ex alto precamur. Avus per paternam lineam ipsi ascendit Vir itidem Reverendus & Doctissimus CHRISTIANUS WOLDENBERGIUS, Pastor Ecclesiæ Neokirchensis in Holsatia vigilantissimus; Avia ALKE Woldenberges/ egregium fœminarum decus. Avus per matrem ascendens fuit, Vir Reverendus & Doctissimus NICOLAUS TOLLIUS, Pastor Suderovensis meritissimus; Avia materna CATHARINA VORSTIA, ingens sexus sui ornamentum; Proavum habuit paternum Spectatissimum Virum HANSUM WOLDENBERGIUM, Civem Crempensem industrium. Proaviam, laudatissimam fœminam MARGARETHAM Woldenbergs: Proavum maternum laudat Virum plurimum Reverendum & Clarissimum M. JOHANNEM VORSTIUM, Potentissimi Regis Daniæ Superintendentem in Holsatia, & Pastorem Itzehoe fidelissimum, & de Ecclesia per multis annis meritissimum; Proaviam maternam CATHARINAM Vorsten/ optimam matronam. Quam primum in hanc lucem editus & sacro fonte ablutus erat, Optimi parentes nihil eorum intermiserunt, quæ ad egregiè formandam indolem, piisque moribus imbuendam pertinere videbantur. Sed præcocia fata patrem ipsi eripuerunt, eumque inter bellicos Cæsarianorum militum tumultus cum matre afflictissima reliquerunt, quæ tamen nihil desiderari passa est eorum, quæ præter pietatis probitatisque studium, literarum quoque amorem filio inculcarent: nihil magis in votis habens, quam ut is aliquando DEO & literario Orbi dignè inservire possit. Non parum eò contulit, intentionemque suam consilio & re juvit dilectissima ejus Soror THEODOSIA von Langen/ Viri Nobilis Doctissimique MATTHIÆ von Langen/ Præfecti Segebergensis relicta vidua,

quam Noster in disputatione sua inaugurali, de Sponsalibus, cum laude in Alma Gryphica Anno 1651. habita, dulcissimam suam materteram vocat. Prima literarum rudimenta in Schola patria posuit, in Kiloniensi postea sub auspicio Rectoris Doctissimi, ZACHARIÆ MOSERI, tales fecit progressus, ut inde ad inclitam Academiam Lipsiensem ablegaretur, ubi, cum totum se studio Philosophico manciparet, supremum in Philosophia gradum brevi tempore est adeptus. Non tamen neglexit Jurisprudentiam, veram illam, & non simulatam Philosophiam, sed illi totis viribus incumbens non modicam ejus quoque sibi acquisivit notitiam. Auxit eandem non leviter in multis Germaniæ, Daniæ, Hollandiæque celebribus Academiis, quarum præcipuè Coloniensem, Lovaniensem, Lugdunensem, Hafniensem, Gryphisvvaldensem, hancque nostram, non sine insigni studiorum fructu, invisit, Clarissimisque viris innotuit. Anno 1649. Per illustris Comes, HELENA de Brandestein/ eum Præceptorem ac Ephorum filio suo præfecit, cui spartæ per aliquod temporis spatium egregiè præfuit, magnorumque Virorum ea occasione captavit gratiam; Inde ad nos iterum redux, non otio vacavit, sed legendo pariter, ac disputando suam in jure professus est scientiam. Meruit itaque honores summos, quos ipsi Gryphica post peractum laudabiliter privatum, publicumque Examen, Anno 1652. contulit. Cumque de eruditione ejus abunde constaret, Senatus hujus Urbis Amplissimus ipsi Professionem juris extraordinariam decrevit, sed nonnullæ exinde ortæ difficultates effecerunt, ut Anno 1656. post fata Clarissimi Viri, DN. M. ELIÆ TADDELII, Professoris Græcæ Linguæ, in hujus locum surrogaretur introduceretur que, postquam anno præcedente cum Nobilissima Virgine CHRISTINA Müllers/ VINCENTII MULLERI, Consulis olim Hamburgensis Magnifici, filia matrimonium iniisset, in illo studio utilem per triennium præstitit operam, talemque se gessit, ut Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, Dux Mecklenburgicus, Princeps Vandalorum, Sverini & Ratzeburgi, Comes Sverinensis, Terrarum Rostochii & Stargardiæ Dynasta, Dominus ac Patronus noster Gratiosissimus, ad majus honoris fastigium evehere, eique non solum Decretalium Professionem conferre, sed & Consistorii Ducalis Assessorem constituere clementissimè susti-

sustinuerit. Supervacaneum hic foret, multa verba facere de ejus in docendo, disputandoque, ardore ac diligentia, de fide ac cura, qua sæpius Decanatum gessit, de laudabili studio, quo Acta ad Facultatem missa, abalienato ab omni odio invidiaque animo, expedivit, adeoque officio suo ac honestati satisfecit. Nota hæc omnia non minus sunt, quam sacrata ingenii ejus monumenta quæ publicè extant, & quid in illo genere præstiterit satis superque testatum faciunt. Inter præcipuos Tractatus, quos in lucem emisit, sunt de Numeris utriusque Juris Civilis & Canonici: Micarum juris manipuli tres: Axiomata Juris universi tam Civilis quam Canonici: de Origine Consistoriorum; de Origine, progressu & usu Corporis Canonici: index tractatus tractatuum: & Compendium ex integro Tractatu Coleri de Processibus Executivis. Illud quoque memoratu dignum, quod anno 1666. Per illustris Dominus Comes de RANTZOV Dominus in Breitenburg / &c. dignitatem Comitis Palatini Cæsarei cum annexis juribus ac beneficiis, ei munificentissimè contulerit. Quæ res inter alia monstrat, magnis quoque Viris eum innotuisse, acceptumque fuisse, ad quam felicitatem nihil magis ipsi profuit, quam quod non obscuros mores aut rancorem animi, qui homines reddunt invisos in vita, præ se ferret. Sed properandum est ad finem, quem non infelici alias vitæ varius morbus imposuit. Illum nobis sufficienter depingit Vir Experientissimus Excellentissimusque Dn. SEBASTIANUS WIRDIGIUS Med. D. & Profess. Publ. Amicus & Collega nost-r honoratissimus, dum inquit: *Morbus, quo Consultissimus noster Collega succubuit, Lithiasis fuit, ejusdemque individuus comes, Passio colica: acerbissimi sanè valetudinis & vitæ humanæ hostes, quorum unus hominem necando sufficiens est. Hostibus hisce, non semel iterumve, multis retro annis, conflictatus est, sed multoties, & quidem adeo mascule & feliciter, ut singulis collisionibus, assumtis generosis remediis, profligati, victoriam reportaret, exuviasque horum, non exiguam supellectilem calculorum, collegerit, nobisque ostentaverit. Tandem 29. Ianuarii iterum complicato suo hoc familiari morbo correptus, præsens meum, quod Beato nostro, pro solita nostra intima collegiali amicitia, 20. hactenus annos firmiter confirmata, nunquam denegavi, expetiit consilium, anxieque desideravit: verum ferino Catarrho & ego tunc temporis obrutus, assidere illi non valui. In locum itaque meum,*

Experientissimum DN. D. LUBBERTUM, *Practicum apud nos felicissimum, surrogavit, qui primo intuitu morbum pronunciavit lethalem, sua tamen cordi applicuit remedia; accedentibus itaque aliis forsan symptomatibus, signisque lethalibus, 3. Februarii, invocato nomine Iesu, placidissimè exspiravit.*

Insignem, O Cives, inhocce Viro fecimus jacturam æquum igitur erit, ut quos vivo amplius non licet, mortuo honores exhibeamus, frequentique comitatu testemur, quam carus nobis fuerit in vita, quamque ejus memoria nobis semper grata sit futura.

P. P. sub sigillo Rectoratus die 3. April.
ANNO M. DC. LXXIV.

Conventus fiet in Templo Jacobæo hora prima pomeridiana.

SCRIPTA.

De Processibus Executivis Matthiæ Coleri: *Rostoch.* 1646. in 4.

Oratio Inauguralis de usu Græcæ Linguæ, in omnibus Facultatibus, Artibus & scientiis. *ibid.* 1657. in 4.

Collegium Theticum super Institutiones juris: *ibid.* 1657. in 4.

Subsidium juris, seu Index Interpretum & Commentatorum, antiquorum & recentium, maximè celebratorum, super quatuor Institutionum libros, in & extra Germaniam extantium, ad hæc nostra usque tempora productus: *ibid.* 1659. in 4.

Oratio Inauguralis, de Origine, progressu & usu corporis Canonici: *ibid.* 1659. in 4.

Principia juris Romani, id est, Leges Draconis & Solonis, Leges Romuli & leges XII. tabularum, secundum ordinem à Pardulpho Pratejo & Justo Lipsio observatum: *ibid.* 1660. 1668. in 4.

De Numeris juridicis juris civilis: *ibid.* 1663. & *Francofurti* 1670. in 4.

Micarum juris Manipuli tres: *Rostoch.* 1665. in 4.

De Vita & honestate clericorum: *ibid.* in 4.

Axiomata juris universi tam civilis quam Canonici: *ibid.* 1673. in 12.

Dispu-

Disputationes aliquot habuit publicè, ut de infamia, seu de his, qui notantur infamia: De injuriis & famosis libellis: De novo anno, seu oblatione votorum, ex L. un. c. lib. XII. t. XLIX. &c.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
Ad Funus
Magnifica autoritate, Officiorum amplitudine, Consiliis & Respondendi de Iure prudentia, Civilique usu longè spectatissimi

DN. JOHANNIS PHILIPPI,

JCti Incomparabilis, Com. Palatini Cæsarei, Scabinatus Electoralis & Curiæ Provincialis in Inferiori Lusatia Assessoris, Collegii Beatæ Virginis Collegiati, Polonicæ Nationis & Collegii jam dicti Senioris, & Reipublicæ Lipsiensis Pro-Consulis,

VIRI de publico Egregio meritissimi,

Horâ III. stipatissimo Comitatu prosequendum,

CIVES ACADEMICOS ORDINUM ac Dignitatum Omnium seriò invitat.

PRocuratorum Lucerna insignitus Ivo, idemque, quia Sanctorum classibus importatus fuerat, Deus Jure Consultorum Tutelaris electus. Floruit is natione Britannus sub Carolo IV. tùm ob doctrinam & singularem eloquentiam, tùm ob miram pietatem longè celeberrimus. Fuit enim, teste Crantzio Metropol. lib. 9. c. 34. angelica continentia præditus, Romæque vitam suam ab esu carnium serva-

servavit intactam, corpus cilicio operuit, jejuniis, vigiliis ac orationibus etiam Monachos longo post se intervallo reliquit, nudam pro cubili terram luteam, Saxum pro cervicali, & Bibliorum codicem pro pileo usurpavit, suumque, quod habuerat, patrimonium amplissimum, in pauperum, orphanorumq, ac viduarum causas defendendas insumpsit. Atque hinc non Procuratorum tantùm Lucerna, sed pauperum quoque Advocatus cognominatus: hinc factum quoque, ut, cum Theologi Thomam ac Hieronymum, Medici Cosmam ac Damianum, & Philosophi Catharinam patronam sibi deputassent, JCti Jvonis, quippe inter sanctos relati, tutelæ sese commendarint, eique non minus, quam Sanctis aliis, altare in templis aliquod exstruxerint: quemadmodum & Fridericum III. Saxoniæ Electorem severissime præcepisse accepimus, ut Facultas Juridica in Academia Wittebergensi Jvonis Festum, quotannis IX. die Maji in templo perageret, Decanusque Rectorem, cum reliquis Professoribus ad missam super altari Jvonis celebrandam solenniter invitaret. Posteaquam verò spississima illa inveteratæ Idololatriæ caligo ex regionibus hisce per Megalandrum Lutherum dispulsa est, etiam Missæ illæ Jvonis una cum religioso cæterorum Sanctorum cultu in desitudinem sunt redactæ, sic tamen, ut suus tùm Juri Pontificio, tùm JCtis ipsis honos integer ac sartus tectus conservaretur. Tametsi enim Lutherus Pontificii Juris libros Wittebergæ extra portam Elistræ combusserat, haut quicquam tamen id factum in contumeliam aut Jure Consultorum, aut legum utilissimarum, quas Pontificium Jus complectitur, quasque in Academiis jussu Principum hodieque explanant Doctores, sed ignominiam Dei illius semihominis, & Petri, si Divis placet, Vicarii, & detestationem impiorum decretorum, quibus bonæ leges hinc inde sunt adulteratæ. Neq; Lutherus prohibet, quo minus JCti etiamnum Dii Tutelares imperiorum & rerumpubl. (at citra superstitionem tamen atq; Idololatriam omnem) agnoscantur & nuncupentur. Ita enim Vir Heliano Spiritu excitatus in cohortatione ad Parentes de introducendis liberis in Scholis, & altera quidem Sermonis parte: *Quis sustinet incolumitatem Imperii? Equi & currus, manuumque & armorum validitas hæc non faciunt, sed ex sola prudentia, quæ ex libris scriptarum legum comparatur, stat & cadit, ejus est consilium & æquitas, per ipsam reges regnant, & legum Conditores justè decernunt, per eam principes imperant, & poten-*

potentes justitiam moderantur. Et mox: *Hinc accidit, ut quemadmodum piis Theologis in regno Christi appellatio Angelorum, Prophetarum, Sacerdotum, ministrorum & Doctorum tribuitur: Ita pii Principes, Iure-Consulti, Cancellarii, Secretarii, Scribæ, Iudices & Assessores, Advocati item & Notarii, qui vel ipsi gubernant Respublicas, vel aliis moderatoribus operam suam præstant, ut secundum leges scriptas gubernentur subditi, meritò & Doctores & Sacerdotes & Antistites justitiæ & ministri, rerumque publicarum Tutores & conservatores appellari possint.* Cujusmodi Tutanorum cum in hac quoque Philuræa per DEI gratiam numerus sit haut exiguus, tùm inter illos cum maximè eluxit Vir Magnificus, Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimusque DN. JOHANNES PHILIPPI, JCtus Consummatissimus, Comes Palatinus Cæsareus &c. Ut non minus quam Sanctus Jvo ille, Procuratorum Lucerna salutari jure possit. Fuit enim, si superstitiosum illud vivendi genus eximas, Jvoni prudentia juris & eloquentia non dispar, id quod tum res ipsa clamitat, tum ara perenni vivæ memoriæ (nec enim alias aras demortuis nos ponimus) jamjam exstruenda uberius indicabit. Gente Silesius est, vel sic probitatem animi felicitatemque indolis sat prodens. Est enim, ut cum Neandro loquar ex Geograph. Part. I. nutrix fœcunda & benefica hominum, quibus in utroque sexu Dei beneficio, nec ad figuram ac decus corporis, nec ad bonitatem ingeniorum quid deest, multisq; præterea seculis exculta disciplina honestiore, quam alii populi efferi & inhumani Natus autem Lignitii est A.Æ.C.M.DC. VII.d. 19. Martii ex JOSIA PHILIPPI, Cive loci primario & prædio Waldaviensi, quod ad Cameram Principalem spectat, ab actis Ecclesiasticis & Civilibus, & moratissima matre Ursula, ex vetusto, eoque honestissimo Clossiorum genere oriunda: cumque ingenii non vulgaris scintillas maturè ostentasset, à matre (nam parentem in ipsa annorum teneritate amiserat) non pietati tantum, sed & bonarum artium studio de consilio Danielis Hertwigii, Lignicensium Consulis amplissimi, qui velut Deus ex machina puero succurebat, fuit dedicatus, Scholæque adeò Lignicensi immissus, in qua dexterrimos formatores nactus, BARTHOLOMÆUM KERNIUM, RECTOREM, M. LEONHARDUM BAUDISIUM Con-Rect. & HENRICUM BACHMANNUM, Collaboratorem, tam feliciter in annum usque tertium decimum profecit, ut magna

jam

Jam tum ſpes de futura ſtudiorum mole non vane conciperetur. Etenim cum Ducis Lignicenſis Conſiliarius intimus & Pro Princeps eminentiſſimus, CHRISTOPHORUS à ZEDLITZ è Pædeuterio jam dicto binos optimarum mentium atque ingeniorum adoleſcentes præoptaret, qui cum Filio ſuo cognomine in literis imbibendis concertare privatim poſſent, non alium ex tam conferto diſcipulorum grege, quam hunc PHILIPPI, præter Nobilem alium in eodem ludo edoctum, dignum aptumque conſortio Zedlitiano habuerunt Præceptores Condiſcipulatu hoc Nobiliſſimorum adoleſcentum per triennium uſus, eos ſub BARTHOLOMÆI KIRCHNERI moderamine in linguis juxtim ac Philoſophia progreſſus fecit, ut cum An. XXII. Gymnaſium Eliſabethanum, quod Wratislaviæ floret, ſubiret, Claſſi Principi inſertaretur mox, ſtudiisque Academicis à M. MICHAELE POLLIONE & M. ELIA MAIORE non longo temporis ſpatio præpararetur. Biennio enim needum finito Philuræam hanc petiit, cumque in ipſa Juris adyta penetrare animum induxiſſet, penitiorem Philoſophiæ cognitionem præſtruxit, celebratis tùm L. SCHNEIDERI, L. CORVINI & M. MULLERI Profeſſor. Publ. acroaſibus, tùm M. AVIANI potiſſimum, Facult. Philoſ. Aſſeſſoris Collegiis Panſophicis; dein ad pedes JCtorum incomparabilium SIGISMUND: FINCKELTHUSII, WILHELMI SCHMUCCII, JOHANNIS BOHEMI, BARTHOLOMÆI GOLNITZII, DAVIDIS LINDNERI, aliorumque conſidere cœpit, eamque ſibi Juris prudentiæ ad annum usq; XXXI. ſupellectilem comparavit, ut ſuo remigio rem gerere, aliisque viam ad arcem Themidis oſtendere non infeliciter potuerit. Vocatus eopſe anno in Patriam, ut ſuam illi ſolertiam dexteritatemque commodaret, mox à Celſiſſimo Principe Lignicenſi Illuſtri Baroni à REICHENBERG tùm minorenni præfectus, nec exili ab eo Salario, quod non ſemel gratus deprædicavit, clementiſſimè fuit cumulatus. Qua Ephoria cum ex voto Principis perfungeretur, mirum, quam avidè etiam alii Nobiles hunc filiis ſuis ducem elegerint, ut non immeritò quis verſibus Statii, quibus Parentem ſuum lib. Sylv. V. c. III. dilaudat, compellare PHILIPPI Noſtrum potuiſſet:

Hinc tibi vota Patrum credi, generoſaque pubes
Te monitore regi, mores ac facta priorum
Diſcere &c.

Nam

Nam duo & viginti admodum Generosi Juvenes ad annum usque XXXV, commissi ipsi, tamque præclare ac laudabiliter ab eo fabrefacti, ut summis in Silesia muneribus admoveri non sine ingenti patriæ præsidio atque ornamento quiverint. Ad Baronem ut redeamus, erat ille, sic Tutore Illustrissimo disponente, in exoticas regiones non nisi hoc duce & comite dimittendus; sed PHILIPPI Noster non levidensibus causis permotus, submisse id curæ deprecatus, inspectionem Nobilissimorum Juvenum CAROLI SIGISMUNDI & WENCESLAI à Stensch/ nec non Cognati eorundem GEORGII ABRAHAMI à Dyhren suscepit, cumque illis Almæ huic redditus, à Theoria Juridica, quam vocant, ad Praxin movere pedem incœpit, Daducho potissimum usus QVIRINO SCHACHERO JCto celeberrimo, & Sereniss. Electori Saxoniæ ab Appellationum Consiliis &c. & quandoquidem Patriam suam non à Bellona tantum, sed & Papæ à Idolomania miserum in modum vastari, seque adeò rebus & spebus suis destituti intelligeret, intra sinum Almæ Nostræ commorari, imò consenescere apud animum suum constituit. Itaque A. XXXVII. ad Parentem Generosissimum reductis, quibus præfuerat hactenus, Nobilibus, ad Berythum Jenensem abiit, actuque tam tentaminis, quam rigorosi examinis exantlato, habitaque, De Curatore Bonorum, solenni disputatione d. XXX. Nov. supremum Jurisprudentiæ apicem, tanquam præmium eruditionis ac diligentiæ jam pridem meritum, retulit; Lipsiaque mox repetita, maritali fœdere cum DEO devinxit sibi virginem id temporis forma virtutibusque florentissimam MARIAM, DAVIDIS BOCKII Civis ac Mercatoris filiam An. XXXIIX. d. XXIIX. Februar. quam non amabilem tantùm concordemque vitæ sociam, sed fæcundam quoque sobolis procreatricem est expertus, factus quippe ex eâ pater sex filiorum, CHRISTIANI, Marchionis Durlachio Badensis Secretarii intimi, jamque Viennæ in Aula Cæsarea ob maximi momenti negotia commorantis, JOHANNIS DAVIDIS, castra Gothorum bellica sectantis, JOSIÆ & FRIDERICI J. U. Cultorum, SIGISMUNDI item ac THEODORI, quorum ille in illustri Porta, hic in Patria I teris operam navat, & filiarum binarum, MARIÆ DOROTHEÆ, sed in viridi ætatula extinctæ, & JOHANNÆ MARIÆ, Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque Dn. WILHELMO ROMA-

NO,

NO, J. U. D. Curiæ Supremæ & Consistorii Advocato Ordinario A LXIIX. nuptæ ex qua & neptes dulcissimas vidit JOHANNAM PHILIPPINAM & CHRISTIANAM MARIAM, nec non tres nepotulos ADOLPHUM WILHELMUM, & PHILIPPUM LUDOVICUM, Gemellos mos extinctos, & CAROLUM LUDOVICUM. Sed ad publica deveniendum tandem, & quibus veluti gradibus ad honores alios ascenderit, jam strictim est percensendum. Nam cum in foro aliquantisper se Roscium exhibuisset, ob insignem prudentiæ dexteritatisque laudem exinde reportatam A. XLIV. Synedrii Ecclesiastici, & anno subsequo Curiæ supremæ Advocatus Ordinarius (quoquidem utroq; munere se paucis abhinc annis abdicavit) abs Serenissimo Saxoniæ Electore fuit constitutus. Sed ne studiosæ Juventuti deesset, non pigratus est desideria illius qua publicis qua privatis operis, quas Disputationes non paucæ adhuc contestâtur, explere. Quæ diligentia uti singularis erat, ita singulari quoq; & planà extraordinario præmio mactata est. Etenim cum nemo ad Collegiaturam adspirare in hac Alma queat, nisi Magister Noster, isque publico Disputationis præsidio, Nationalibus beneficiis veluti initiatus. Philippi Excellentiss. quantumvis Magistrorum Lipsiensium ordini non adscriptus, speciali tamen Serenissimi Electoris mandato munitus, post disputationem cum laude habitam Collegiatis annumeratus est, in Collegio puta B. V. Silesiacæ Nationis proprio. Ad illud enim, ut hoc obiter inferamus, ædificandum Joh. Otto Münsterbergius, primus Academiæ Rector pecuniam contulit eam, quam Pragæ collegerat, ad condendum ibi Collegium pro Silesiis: Sed cum mors improvisa Münsterb. intervenisset, popularis ipsius Joh. Hoffmannus, postidea Misnæ Episcopus factus, opus illud absolvit, & Collegium Marianum instituit, in quo Collegas quinq; Silesios, & si libeat, sextum è Prutenis adsciscendum, ordinavit. Huic Collegiaturæ, in qua Præpositi vices non semel obiit, accessit & aliud beneficium non minus insolens, quod cum extra hanc Philuræam Dibaphum Doctoralem obtinuisset, A. XLIIX. Fac. Jur. Lips. ob rara eruditionis specimina insereretur. Præterquam enim, quod A. XLI. mense Majo de Carceribus ante & post meridiem disputarat, per integrum semestre materiã de Subhastationibus gravissimam publicè explanavit Sed nec hic honorũ publicorũ pausa erat, Cum enim tanquã Procuratorũ Lucerna undiquaq; exsplen-

descerer, à Nobilissimo hujus Urbis Senatu & Senatoris & Consiliarii axiomate exornatus, & An LIV. Curiæ Provincialis in Inferiori Lusatia Assessoribus, Annoque LVII, quo ex Facultate Juridica exesse cœpit Scabinis Lipsiensibus abs Electore Saxoniæ Potentissimo est accensitus. De Comitiva quid dicam, abs Cæsarea Majestate An. LI. obtenta? Quid de Magistratu Academico An. LII. in humeros ejus unanimis Nationum suffragiis conjecto: Quid item de Pro-Rectoratu, abs PHILIPPI Amplissimo, An. XLII. cum Magnificentissimus Academiæ Rector esset HENRICUS Ruthenorum Juniorum in Plauen Decimus, Dominus in Graiz, Kranichfeld, Gera, & Lobenstein, in ipsa temporum bellicorum diritate felicissimè administrato? Uberius hæc persequenda forent, nec alius persequendis illis aptus, nisi qui ingenio atque eloquentia par ipsi esse possit. Tametsi verò PHILIPPI Magnificus negotiorum Æthna quadam premeretur, tamen scriptis etiam publicis, iisque cedro imputribili dignis prælucere Procuratoribus & Advocatis voluit. Et quotusquisque Doctorum ignorat ternionem librorum jamdudum in lucem emissorum, Usum videlicet Practicum Institutionum, Tractatum de Subhastationibus, & Observationes Practicas? quibus propediem accedent Observationes practicæ in Processum Saxonicum, quippe sub prælo jam sudantes. Cæterum per omnem vitam nihil prius antiquiusque habuit PHILIPPI Magnificus, quam omni cultu ac veneratione Deum sibi quotidiè propitiare, candoremque proximo atque animum justitiæ tenacem approbare. Neque enim unquam delectatus est vaframentis atque artibus hujus seculi, tantum abest, ut fefellerit ipsemet, vulpemque astutam, ut ille ait, sub vapido pectore servaverit. Sed cui non dictus Hylas? Ad vitæ Philippinæ terminalia ut veniamus, jam annus propemodum est, ex quo ob virium decrementa se laribus affigere domesticis necesse habuit. Quæ imbecillitas quamvis pretiosissimis pharmacis oppugnata est, expugnari tamen se passa non est. Ac nuper quidem, die videlicet Aprilis XVIII. cum ipso die Christi emortuali viatico sacro se instruxisset, in contumacissimũ somnum dilapsus, orexin mox omnem evanuisse, mortemque adeò quam proximè abesse intellexit. Apprehenso itaque Salvatoris sui Merito se DEO veluti in manus tradidit, & die XXI. April. placidissimo somno correptus, hoc veluti molli vehiculo in vitam alteram

transivit. Et ita Procuratorum Lucerna illa extincta est, extinctus, inquam, Ivo Lipsiensis, & Justitiæ Tutanus emendatissimus; cumque eò tot augustæ Virtutes, dotesque summæ; quibus non Urbem tantummodo hanc, sed orbem universum irradiavit. At lucet tamen anima illius in cœlis vel splendidissimi Solis instar, nec ullis unquam seculis in Lucis æternæ illius conspectu exstinguetur. Nec obtenebrabitur gloria Ejus in his terris, quam & Consiliis saluberrimis & scriptis utilissimis jamdudum sibi peperit. Quotiescunque enim scripta Magni PHILIPPI à JCtorum filiis citabuntur (citabuntur autem sæpissime) toties ara veluti honoris quædam illi exstruetur. Nos interim honoris illud genus, quod manibus Philippicis debitum videri potest, ne differamus, Cives Ordinum ac Dignitatum honoratissimi, cumque Gravis ille & honoribus & Reipublicæ muneribus perfunctus Senex (his enim ferè verbis Cicero describit JCtum de Jure interrogari solitum, lib. 1 de Oratore) horâ III. sit efferendus, ad exequiarum Officium frequenter & copiose confluamus, & vel sic, quanti vivum æstimaverimus, & nunc (ô funestum & illætabile verbum) èxtinctum doleamus, contestemur! P. P. Lipsiæ d. 27. April. A. E. C. M. DC. LXXIV.

SCRIPTA.


Usus Practicus Institutionum Justinianearum: *Lipsiæ* 1665. in 4.

Tractatus de subhastationibus: *ibid.* 1667. in 4.

Observationes ex Decisionibus Elect. Saxonicis: *ibid.* 1670. in 4.

Considerationes Juridicæ in Processum judiciarium Saxonicum: *ibid.* 1675. in 4.

Disputationes ab ipso habitas aliquot saltem vidimus; utpote de obligationibus in genere: De Carceribus: De Curatione bonorum: De eo, quod interest.



RECTOR

RECTOR
UNIVERSITATIS ALTDORFFINÆ,
JACOB. PANCRATIUS BRUNO,
PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR,
HUJUSQVE PROF. PUBL.
AD
FUNERIS EXEQVIAS
VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ET CONSVLTISSIMO,

DN. ERNESTO CREGEL,

JCto, ANTECESSORI PRIMARIO,
CODICIS FEUDORUMQVE PROF.
PUBL. OPTIME MERITO,
ET INCLUTÆ REIP. NORIMBERGENSIS
CONSILIARIO GRAVISSIMO,
RITE AC DECORE PARANDAS
CIVIUM ACADEMICORUM
LVCTVOSAM FREQVENTIAM BENEVOLE
EXPOSCIT.

QVo divini Numinis consilio, qua inexplicabili fatorum dispensatione Nobilissimus. Excellentissimus & Consultissimus Vir DN. ERNESTUS GREGELIUS, U. J. Doctor, inque hoc Lyceo Altdorffino Antecessor primarius, Codicis & Feud. Prof. P. dexterrimus, inclutæ Reip. Norimberg. Consiliarius meritissimus, Collega & Compater meus conjunctissimus, eoque magis nunc desideratissimus, festinatis honorum insignibus ad eam, quam vitæ ipsius conditio recipere potuit, felicitatem, ad eam, quam optanti Viro erudito promittere solet, non immemor meritorum, mundus famam, quamplurimis ætate & ingenio æqualibus longo post se intervallo relictis, in ipsa indeflexa ætatis maturitate profectus fuerit, hactenus curiosa admiratione defixi frustra scrutati sumus; nunc demum pulsa *caliginosa nocte*, qua, ut ait Poëta, *prudens futuri temporis exitum premere*

Deus solet, tristi heu! nimiū eventu, & non minus actionum laudabilium omnium, quam totius vitæ completis spatiis, in aprico veluti campo intuemur. Nempe cum singulari naturæ benignitate obtigisset ei memoria fœcunda, ingeniū solers, judicium robustum, sermo acer & cordatus, ne tantarum dotium fructus ipsa tardæ senectutis mora interciperentur, maturius ipsi exequendæ fuerunt partes officii divinitus impositi, quo brevius apud nos commorandi spatium supremus ille laborum honorumque diribitor ipsi designaverat: haud ferè aliter ac proposita in communem locum profectione, omnibus necessario & citra recusandi licentiam incumbente, illi celerius res convasandæ sunt, cui graviora & plura in itinere negocia administranda sunt data. Enimverò animos Vestros, Cives Academici, gestire nobis videmur, omnes vitæ tam præclare ac feliciter per tot honorum gradus deductæ rationes nudas ac velut *resupinatas*, ut Erasmus loquitur, oculis lustrare. Nec sane ulli dubitamus, si depictam in brevi quasi tabella totam CREGELII imaginem intuebimini, non minus vobis flammam in pectore exarsuram, quam illis Q. Maximo, P. Scipioni, & aliis civitatis Romanæ præclaris Viris, quos dicere solitos audivisse se, memorat Sallustius in Proœm. bell. Jugurth. *cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi.*

Primam lucis usuram Anno à nato Salutis humanæ Instauratore cIↄ Iↄc XXVIII. ipsis vigiliis præeuntibus Festum Conversionis S. Pauli largita est patria ULZA Luneburgensis Ducatus Oppidum haud incelebre, eademque Parentes spectatæ & pietatis &, quæ arctissimè isti innexa est, constantiæ in sustinendis ærumnis divinitus immissis; Patrem Virum Maximè Reverendum, Amplissimum & Præcellentissimum DN. M. HEINONEM CREGELIUM, Serenissimorum & Celsissimorum Principum ac DNN. FRIDERICI & CHRISTIANI LUDOVICI, glor. mem. laudatæ jamjam Civitatis Hanseaticæ Præpositum, nec non vicinarum viginti & amplius Ecclesiarum ab annis benè multis summè meritum Superintendentem, simul redituum Ecclesiasticorum ibidem supremum Inspectorem; Matrem Nobilissimam & celeberrimæ in ista regione familiæ WILHELMORUM, unde natales arcessivit, splendorem propriis virtutibus intendentis: qui utrique parentes jam ab annis circiter XI. fatis concesserunt. Ac ut paulò altius retrò

trò legamus vestigia, paternum sanguinem Nostri descendisse accepimus ab Avo Amplisf. & Prudentisf. Viro JOHANNE CREGELIO, Civitatis WALSRAD in Ducatu Lüneburgensi Consule, ab Avia Nobilissima & virtutibus fœmineis ornatissima ELISABETHA, è perantiqua Lüneburgica familia TIEFENBROCKIORUM prosata; maternum verò derivatum ab Avo HENRICO WILHELMO memoratæ Urbis Ulzensis Senatore primario & Camerario; ab Avia Nobilissima CATHARINA, è vetusta ALEWEINIORUM gente ortum ducente. Esletque in promtu prolixiorem Majorum texere catalogum, si vel hac ratione fieri posse putaremus, facibus extinctis Solem recens occidentem in conspectum revocari. Cæterum CREGELII nostri parentes in præcipua curarum parte habuerunt, ut quamprimum post materni lactis dulcedinem admitteretur ad illam *mellis & lactis societatem*, qua veteres in sanctissimo regenerationis lavacro recens natos velut inauguratos fuisse ex Tertulliano discimus: eique sacro negocio stipulatores adesse voluerunt Nobilissimum Virum DN. ERNESTUM ZETTEBROCK, Celsissimi Ducis Cellensis Consiliarium intimum, nec non Matronam Nobilissimam Catharinam Ellentorpiam, & Nobilisf. ac Amplissimum Dn. Henricum Wilhelmum. Post ubi adoleverat, memores iidem parentes fœderis in baptismo à filiolo suo cum Deo initi, nihil curæ omiserunt, ut pietatis præceptis tenellum pectus linguaque imbueretur, & ipse ad æternam pariter ac terrenam felicitatem jam à prima juventute gradus sibi strueret. Hinc è suo sinu in Præceptorum, cum privatorum tùm publicorum, scholas dimiserunt earum literarum eruditione formandum filium, è quarum venis latentia reconditæ prudentiæ & virtutis metalla aliquando effodere posset; ad quod institutum laudabilem præ aliis operam attulisse celebratur Philologus & Philosophus insignis Dn. M. Daniel Papendorff, Scholæ patriæ Rector. Istis πρώτοις μαθήμασι instructus, simul munitus adversus seculi corruptelas domesticis monitis, è paternis laribus emitti desiderans Lubecam concessit, inter discipulos istius Gymnasii nomen professus, & honesta ambitione æmulantium studia ita accendens, ut intra biennium linguæ Latinæ & Græcæ, ligato pariter & soluto sermone constantis, peritiam ad spem tollere effingendæ eloquentiæ (ad quam acriter contendebat) auderet. Eo certè successu industria ista juvenilis mactata fuit, ut post in luce publicæ Professionis collocatus severitatem laborum jam pangendo carmine, eoque eleganti & facili Minerva deducto, jam detexenda Oratione temperaret, nec vulgarem eloquentiæ gloriam assequeretur. Subacto ita animo ad recipiendam gravioris sapientiæ sementem aditus ad Rostochiensem Academiam commodum ipsi pate-

factus est intercedente promta opera Viri Maxime Reverendi Amplissimi & Excellentissimi Dn Augusti Varenii, S. Theol. Doctoris, & Professoris ibidem publici ejusdemque celeberrimi, simul in Consistorio Ecclesiastico Mecklenburgensi Consiliarii, qui CREGELII nostri Sororem, binis abhinc circiter annis beatè defunctam, tùm in matrimonio habebat. Attulerat eò animum sacrarum literarum scientia potissimum flagrantem, cui instituto cum servire intelligeret è disciplina & monitis Affinis & Praeceptoris Hebraicam & Graecam linguam, quarum involucris coelestis doctrinae arcana condere divinae providentiae visum est: ipse praesentem occasionem adeò è manibus non amisit, ut intra quadriennium simul cum linguarum dictarum peritia ultra mediocritatem assurgente culturam etiam studiorum Philosophicorum, ad quae adjutorem sibi adfuisse vice non una apud amicos praedicavit Clarissimum Virum Dn. M. Michaelem Watsonium, conjungeret, jamjam in ipsa interiora Theologiae adyta se penetraturus. Sed ecce fata rerum! Dum CREGELIUS in linguis & studiis sacris vigilat, sudat, legit, scribit, nihil non molitur, deniq; omnes nervos intendit, affertur domo tristis nuncius, paternos penates juxta cum omni supellectile & domestica & libraria infesto Vulcani furore esse vastatos, spemque adeò luculentam, convertendi in usum sacrum bibliothecam locupletissimam, in fumum abiisse. Ipse verò de pietate quidem nihil remittere, voluntatem suam divino nutui substringere, animum titubantem sacris oraculis confirmare: simul tamen ex erepto tàm nobili comparandae eruditionis Theologicae instrumento augurium capere de sanctissima Dei voluntate in juris & aequi sacerdotem sese commutare decernente. Nec falsum fuisse augurio, vel secundus eventus docuit. Postquam enim artis ejus elementa primum in Rostochiensi, usus potissimum informatione Celeberrimi JCti Dn. D. Schnobelii, deinde Lipsiensi Academia fideliter hauserat, demum excitatus fama Antistitum Juris, nostrae Universitatis caput ad sidera tùm evehentium, cum se huc recepisset An. cIↃ IↃcLI. tradidit se in disciplinam cum aliorum Jurisconsultorum, tum illius super aethera noti Ludwelli, eique non tantum auscultando sedulam operam dedit, sed etiam in frequentibus disputationum qua privatarum qua publicarum exercitiis eam ἀγχίνοιαν, dexteritatem, industriam non Commilitonibus modò verum etiam justis istius Facultatis Arbitris & Censoribus approbavit, ut dignissimum, praesertim post exantlata fortiter certamina in consuetis examinibus & post habitam An. cIↃ IↃcLIV. ipsis vigiliis festi Academici Petro-Paulini disputationem inauguralem, pronunciarent, cui collatis solenniter Doctoris insignibus potestas publicè in Academiis & foris de Jure respondendi, & cau-

sas agendi concederetur. Atque istud negocium tàm feliciter est peractum, ut eo ipso anno, interposita commendatione laudati Ludwelli, à quo non nisi Filii nomine censebatur, & Fi ali affectu ad ultimum vitæ terminum colebatur, à Nobilissimo & Strenuissimo Senatu Noribergensi extra Ordinem Juris Professor Publicus designaretur (cum seqq. annis in numerum Professorum Ordinariorum & Consiliariorum Reip. Noribergensis cooptaretur) ac demum d. XI. Decemb ejusdem anni non Themidos tantum, sed etiam statim ab accepta infula Doctorali Junoniis sacris in fidelium cœtu initiaretur, ducta in conjugium Ornatissima & prudentiæ ae gravitatis muliebris nominibus notissima apud nos Matrona Magdalena, Viri Nobiliss. Ampliss. & Consultissimi Dn. Johannis Kobii, Philos. & J. U. Doctoris ac Professoris Publici longè meritissimi Filia unica, eo tempore Vidua Stren. & Nobilissimi Viri Dn. Hieronymi Antonii Welseri, Patritii Augustani. Ita bonis ominibus vitam Professionis Academicæ cum maritali sociavit, ut, dum in illo docendi officio bona fide & integra dignitate ad annum quasi vigesimum fungeretur, in hac *nunquam se satis*, quod Poëta ait, *didicisse putaret*. Interea dum CREGELIO & pietas & Musa cordi fuit, sensit, affatim & benigno, quod dicitur, cornu manare cœlitus hinc in cathedram, in pulpitum, in museum honores, illinc in thalamum & penates *gratiam, formam, valetudinem*,

Et mundum victum, non deficiente crumena.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno?

Nam & magistratus Academici sceptra communibus Collegarum suffragiis oblata bina vice gessit, acer disciplinæ custos, protervæ barbariei cordatus hostis, denique qualem sapientem suum vult esse Seneca, *cum comitate magnificus*: & Decanatum legum ordine ad se devolutum septies administravit, eumque haud exiguo Candidatorum numero circumfluentem, nullum tamen unquam fœcundiorem, quam quo gaudere ipsi per inusitatam fortunæ indulgentiam ante hoc quasi triennium licuit, quando ipsis VIII. Candidatis non minus officiorum splendore quam solida Juris scientia conspicuis Doctoralem tiaram imposuit: quæ felicitas nulli unquam ejus Facultatis Decano à condita Universitate obtigit. Jam Uxoris prudentis & modestæ mores placidos & commodos ita sibi æmula benevolentia devinxit, ut ipsa & officiis imperata prævenire studeret, & querelæ nullum locum relinqueret, nunquam autem maritum in gratiam secum redire permitteret. Quæ res simul solatio eidem fuit, ut æquiore animo ferret, nullam se ex Conjuge tam amabilis & florentis ætatis suscepisse sobolem: præsertim quod istud, si quod in tanta animorum concordia intelligi poterat, damnum locupletissime reparabat Nobilissimus privignus Dn. HIERONYMUS

FELIX

FELIX VVELSER, Patr. August. cujus pueritiam, adolescentiam, juventutem ad eos, quos omnes boni alii suspiciunt, alii amplexantur, mores suis veluti manibus & ad unguem ita effinxit, ut quæ singula laudanda sæpè in numerosa sobole desideres, ea in tam præclaro Juvene magnò cumulo collecta ad votum reperias: optimi vero, & tenere amantis privignum, vitrici sepulchro inscribi mereatur illud Siracidis: Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. Per hos gradus laborum pariter & honorum, virtutis & felicitatis processit vita CREGELII ad eam, quam nunc breviter signabimus, ultimam rerum lineam. Cum ab aliquot hinc retro annis ob dispositionem scorbuticam hæreditariam, qui affectus popularibus ejus familiaris esse fertur, coaluisset in corpore cacochymia ichorosa salsa, (unde haud rarò erysipelas efferbuit) eaque vires accepisset a laborum frequentia, & jungi illi apud nos solita vita sedentaria, orta est successu temporis cachexia scorbutica, erumpens post in tumorem crurum, & inficiens ante paucos menses hypogastrium & inferiorem corporis partem, adeo etiam ut difficilem redderet incessum, donec prava humorum internorum dispositiò hydropem generasset, cui accesserat difficilis respiratio & molestus anhelitus, calor præternaturalis frigus exterius, sitis immodica, interpellans subinde tussis, & mala similia mortis prænuncia: Tùm CREGELIUS noster vigil excubitor in statione consistens, in qua à summo Imperatore constitutus fuerat: Adsum, inquit, parens, celsique dominator poli, adsum impiger: veni Domine Jesu, veni citò: Dein converso ad me (quem certo consilio conjuncto cum affectu, quo me nunquam non prosecutus est, sincero Medicum sibi delegit) sermone, meminit sententiæ capitalibus literis nomen & patriam suam designantis: Est, inquit, Contemnenda Via Lethi Si Deus meus vult missionem facere ab officii laboribus, ecce me parentem humillime: sin vult diutius me servire proximi commodis: ne tum quidem refragabor, vis valere, ægrotare, vivere, mori? volo, mi Domine, volo. Cum subinde familiariter uteretur lectione libellorum ad firmandam pietatem efficacium interque eos inprimis sibi charorum à JCtis, utpote Joachimo Beustio & Georgio Richtero, scriptorum: demùm assecutus sibi esse visus mentem Domini sui, ordinatis, quæ hæredum curas exercent, rebus, accepto etiam necessario ad cœlestem profectionem viatico, gratulatus sibi de remissione peccatorum & redintegrata gratia divina, simul protestatus coram Ecclesiæ Ministro, se omnibus illis toto animo ignoscere, qui verbis aut opere se læsissent, exultabundus exclamavit: Ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. Postremò cum res & tempus postularet, illud præstandi masculè, quod largiter & alacriter promiserat, proximo abhinc d. 16. Jul. hora V. pomerid. lecto se compositurus inter prævias precatiunculas à privigno diligenter suggestas Adesto, inquit, Domine, adesto firmiter & constanter. *Dixit, quemque dedit cursum fortuna, peregit.*

A vobis, Optimi Cives, duo sunt, quæ requirimus: primum, ut si velitis ad eadem aut similia honorum, felicitatis, gloriæ fastigia ascendere, eadem pietatis, industriæ, eruditionis semita incedatis: deinde ut frequenti funeris comitatu nobis probetis, quam sanctè & comiter memoriam Virorum bene meritorum colatis. B. VV.

P. P. d. 20. Jul. An. CIↃ IↃC LXXIV.

SCRIPTA. Disputationes habuit de variis juris materiis, è quibus sunt: De dispensatione Pœnarum: De justitia & jure: De Lege regia Romanorum: De juris Retorsione: De juris retortione: De jurisdictione forensi: De differentiis juris civilis & municipalis &c.

FINIS.